



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Nucleus Juris Canonici**

**Thenhaven, Bernhard**

**Coloniæ Agrippinæ, 1739**

Libri Tertii

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63382](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63382)

cessorie, v. g. actum fuisse invalidum, consequenter & confirmationem in forma communi. Item si dubium oriatur: *An confirmatio facta sit in forma communi, an specifica?* Potest Judex desuper cognoscere, ut sciat, an judicare possit de re confirmata. Ita *Pirrh. b. t. n. 15.* Verum si non sit manifestum, sed dubium, num confirmatio in forma speciali sit à Sede Apost. sub-vel obreptitiè obtenta? Solius est Pontificis judicare.

## LIBER TERTIUS Decretalium.

### TITULUS I.

#### *De Vita & Honestate Clericorum.*

**N**ota i. Duo esse genera Christianorum Judici Ecclesiastico subjectorum, nempe laicorum, qui sic dicti τὸ λαϊκός, quod est populus Latine; & Clericorum, à populo officiis & Ordinibus divisorum, sic dictorum à τὸ κληρικός, quod idem est ac fors vel hæreditas; quia, ut dicitur *c. 6. de præbend.* „in sui Ordinatione vel assumuntur in hæreditatem Domini, vel assequuntur hæreditatem in ipso. Unde *Trid. sess. 22. de Ref. c. 1.* Sic

„deceat omnino Clericos in sortem Domini  
 „ni vocatos vitam morésque suos com-  
 „ponere, ut habitu, gestu, incessu, fer-  
 „mone & cæteris nil nisi grave, modera-  
 „tum ac religione plenum præferant, ut  
 „eorum actiones cunctis adferant vene-  
 „rationem.

2. Nota 2. In materia favorabili, v.g. quoad privilegium fori & Canonis, appellacione Clericorum venire omnes personas, quæ in sortem Domini vocatæ Divinis obsequiis specialiter sunt mancipatæ, sive per susceptionem Ordinum, sive per professionem religiosam, etiam Moniales; imò & Eremitæ, modò de manu Episcopi receperint habitum eremiticum & sub ejus obedientia viventes deputati sint servitio alicujus Ecclesiæ vel Oratorii, aliàs non, de quibus *Reiffenst. hic §. 1.* Contra in materia odiosa seu pœnali, v.g. Censura lata in Clericos, horum nomine solum veniunt inferiores Clerici sæculares non Episcopi, Canonici aut Regulares utriusque sexûs, nisi exprimantur, vel in subjecta materia & circumstantiis appareat, illos comprehendi.

3. Nota 3. Vitæ honestatem in Clerico requisitam esse vel *Internam*, quæ consistit in puritate conscientiæ, ac exercitio virtutum internarum; vel *Externam*, in

exterioribus moribus, habitu, negotiis &c. elucentem; quam ut Clerici observent, certæ h. t. Regulæ traduntur; nempe

4. I. *In Decret. c. 1.* „ Ut laici secus Altare, quando sacra mysteria celebrantur, stare vel sedere inter Clericos non præsumant, sed pars illa, quæ Cancellis ab Altari dividitur, tantum psallentibus pateat Clericis; ad orandum verò laicis & fœminis pateant Sancta Sanctorum.

C. 2. Clerici arma (*proditoria & offensiva*) „ portantes excommunicentur. C. 4.

„ Si quis ex Clericis comam relaxaverit, anathema sit; putà, si modo lascivo & muliebri comam laxet; nam I Cor. II. ait Apost. *Vir si comam nutrit, ignominia est ei.*

C. 5. „ Clericus nec comam nutriat, nec barbam. C. 8. Monasteria Sanctimonialium si quisquam Clericus sine rationabili causa frequentare præsumpserit, per Episcopum arceatur, ac si non destiterit, ab officio Ecclesiastico reddatur immunis; si nimirum ob frequentes accessus oriatur scandalum in populo.

C. 9. statuitur: „ Ut Episcopi Ecclesiarum proventibus & expensis diligenter inspectis certum in eis imponant numerum Clericorum, quorum bona veniant in communione; & in una domo vescantur, atque sub uno tecto dormiant

„ & quiescant. Verum his Canonibus con-  
suetudo multum derogavit.

5. C. 10. „ Præcipitur, quatenus Judi-  
ces Ecclesiastici, quibus sunt Ecclesiastici  
redditus deputati, è quibus honestè vi-  
vere possint, vigorem judicarium gratis  
studeant litigantibus impartiri, cum nec  
justum iudicium Judici vendere liceat,  
& venales sententiæ ipsis etiam sæcu-  
laribus legibus improbentur. Consue-  
tudine tamen introduci potest, ut aliquid  
accipiant à partibus tanquam salarium,  
si hoc non habeant; vel si habeant, sed  
insufficiens ad congruam sustentatio-  
nem, tanquam stipendium. C. 12. man-  
dat Pontifex, consuetudinem in certis  
anni festivitibus ludos theatrales, lu-  
dibriorum & larvarum spectacula exer-  
cendi in Ecclesiis velut corruptelam  
extirpari. C. 13. Clerici, qui com-  
prehensi fuerint incontinentiæ vitio,  
maximè illo, propter quod ira DEI  
venit in filios diffidentiae, i. e. *sodom-*  
*tico*, laborare, ne facilitas veniæ in-  
centivum tribuat delinquendi, punian-  
tur secundum Canonicas sanctiones, ut  
quos Divinus timor non revocat, tem-  
poralis saltem pœna cohibeat à peccato.  
C. 14. A crapula & ebrietate Clerici di-  
ligenter abstineant, unde vinum sibi

„temperent & se vino, cùm ebrietas &  
 „mentis inducat exilium, & libidinis  
 „provocet incentivum. Hinc decerni-  
 „tur, illum abusum penitus abolendum,  
 „quo ad potus æquales suo modo se  
 „obligant potatores, ut ille iudicio ta-  
 „lium plus laudetur, qui plures inebriat,  
 „& calices exhaurit fœcundiores. Si  
 „quis super his se culpabilem exhibue-  
 „rit, nili à Superiore commonitus satis-  
 „faciat, à beneficio vel officio suspenda-  
 „tur. C. 15. Clerici officia vel merci-  
 „monia sæcularia non exercent; mimis,  
 „joculatoribus & histrionibus non in-  
 „tendant; tabernas evitent, nisi fortè  
 „causâ necessitatis in itinere constituti;  
 „ad aleas & taxillos non ludant, coro-  
 „nam & tonsuram habeant congruen-  
 „tem; clausa deferant desuper indumen-  
 „ta, pannis rubeis aut viridibus non  
 „utantur; nec annulos ferant, nisi qui-  
 „bus competit ex officio Dignitatis. C. 16.  
 „Si Clerici sæcularibus potius nego-  
 „tiationibus quàm Divinis Officiis in-  
 „tendant, cùm id in Clericalis Ordi-  
 „nis vituperium redundare noscatur,  
 „si tertio ab Episcopo moniti non de-  
 „stiterint, ipso facto Privilegium abji-  
 „ciunt Clericale, & in negotiationum  
 „suarum quæstibus, Statutis Patriæ

314 LIBER III. TITULUS I.  
quoad vectigalia, pedagia, &c. subjacent,  
„ eósque Episcopus non defendet. Idem  
statuitur *c. 1. in Clement. h. t.* Ratio, quia  
frustra implorant auxilium Ecclesiæ vel  
legis, qui in eam committunt.

6. II. *In 6. c. un. h. t.* decernitur: „ Cle-  
„ rici, qui se Joculatores, sive Goliardos fa-  
„ ciunt aut Bufones, (Germanicè *Gaukler*,  
„ *Schalcks-Narren*, *Maisterfincken*)  
„ si per annum artem illam ignominiosam  
„ exercuerint, ipso jure; si autem tem-  
„ pore breviori & tertio moniti non re-  
„ sipuerint, careant omni privilegio Cle-  
„ ricali.

7. Pro fine observa, Clericos quoad  
delationem habitûs ac nutritionem comæ  
& barbæ posse se conformare consuetudi-  
ni & moribus locorum, in quibus degunt;  
nec damnandam esse praxin gestandi co-  
mam fictitiam, modò non sit prolixior,  
nec vanitatem spiret, adsitque causa ra-  
tionabilis, v. g. debilitas capitis, quamvis  
cum tali adoptiva cæsarie seu peruca abs-  
que legitima dispensatione (quam juxta  
„ Pontifex, eò quòd Zacharias Papa in  
„ Synodo Rom. sub pœna excommunica-  
„ tionis prohibuerit, ne quis velato capite  
„ Altari assisteret) nequeat quis celebra-  
re. Unde INNOC. XII. 1692. Decreto suo  
per

per Nuntios suos moneri voluit locorum Ordinarios, ut contra detestandum abusum in coma fictitia celebrandi congrua adhibeantur remedia. Si Clericus saltem in Sacris constitutus juxta ordinationem & mandatum Episcopi non detulerit habitum statui suo congruentem, decernit *Trid. sess. 14. de Ref. c. 6.* ut contra talem monitum & non parentem procedatur per suspensionem aut etiam privationem beneficiorum; imò *BENED. XIII. Bulla: Catholicae Ecclesiae*, datâ 1725. declarat, Clericos beneficiatos in habitu laicali incedentes etiam non monitos esse ipso facto privatos beneficiis, nec fructus perceptos facere suos; putâ in locis, in quibus Bulla publicata & recepta.

## TITULUS II.

## De Cohabitatione Clericorum &amp; Mulierum.

I. Cùm Clericos non à crimine tantum, sed à criminis etiam suspitione alienos esse oporteat, Sacra Synodus Tridentina *sess. 25. de Ref. c. 14.* „prohibet quibus-  
 „cunque Clericis, ne concubinas aut alias  
 „mulieres, de quibus potest haberi suspi-  
 „cio, in domo vel extra detinere, aut cum  
 „illis ullam consuetudinem habere au-  
 „deant,

„deant, alioquin pœnis à facris Canoni-  
 „bus vel Statutis Ecclesiarum impositis  
 „puniantur; nempe si post primam mo-  
 „nitionem ab iis se non abstinuerint, ter-  
 „tiâ parte proventuum Ecclesiasticorum  
 „ipso facto sint privati. (Communior ta-  
 „men cum *Engel. h. t.* putat, ad hoc requiri  
 „sententiam declaratoriam.) „Si in delicto  
 „eodem cum eadem vel alia fœmina per-  
 „severantes secundæ monitioni non pa-  
 „ruerint, à beneficiorum suorum admini-  
 „stratione suspendantur; ac si ita suspen-  
 „eas non expellant, aut cum iis etiam  
 „versentur, beneficiis perpetuò priven-  
 „tur, atque inhabiles ad quævis beneficia  
 „reddantur, donec post manifestam vitæ  
 „emendationem Superiores cum iis ex  
 „causa judicent dispensandum. Sed si,  
 „postquam eas semel dimiserint, inter-  
 „missum consortium repetere, aut alias  
 „hujusmodi scandalosas mulierès sibi ad-  
 „jungere ausi fuerint, præter prædictas  
 „pœnas excommunicationis gladio ple-  
 „ctantur. Hoc statutum est conforme  
 „Decretis *h. t. c. 2. 4. 5. & 6.* Præter quæ in  
 „Decret. *h. t.* statuitur:

2. C. 1. „Inhibendum est, ut nullus  
 „Clericus personas fœminarum, de qui-  
 „bus suspicio esse potest, in domo sua re-  
 „tineat; sed neque illas, quas Canones

„con-

„concedunt, matrem, amitam, sororem,  
 „(in quibus, ut dicitur *c. 9. h. t.* naturale  
 „fœdus nihil permittit sævi criminis æsti-  
 „mari) putà si sinistra oriatur suspicio,  
 „quia instigante diabolo etiam in illis sce-  
 „lus frequenter perpetratum reperitur,  
 „aut etiam in pedissequis illarum. Prohi-  
 „bendum quoque est, ut nulla fœmina ad  
 „altare accedere præsumat, aut Presby-  
 „tero ministrare. C. 3. Clericos autem  
 „in Sacris constitutos, qui in domibus  
 „propriis publicè detinent concubinas,  
 „ad eas abjurandas Pontifex non vult  
 „compelli, ne in eadem fornicatione in-  
 „stinctu fraudis diabolicæ redeant & in-  
 „super reatum perjurii incurrant; vult  
 „tamen eos, ut mulieres ipsas à se remo-  
 „veant, arctius cogi per pœnas Eccles.  
 „ut alii eorum exemplo à similibus ar-  
 „ceantur. Et C. 7. A Presbyteris, qua-  
 „tenus fornicariis, quamdiu ab Ecclesia  
 „tolerantur, nec est crimen evidens, lici-  
 „tè audiuntur Divina Officia, & alia re-  
 „cipiuntur Ecclesiastica Sacramenta.

*Quomodo Episcopus possit aut debeat pu-  
 nire simplicem aut qualificatam fornicationem Clericorum? Vide apud Reiffenst.  
 aliosque Canonistas h. t.*

 (+) 

TITU.

## TITULUS III.

*De Clericis conjugatis.*

1. **I**n *Decret. b. t.* decernitur *c. 1.* „Si qui  
 „Clericorum infra Subdiaconatum  
 „acceperint uxores, ipsi ad relinquenda  
 „beneficia Ecclesiastica & retinendas  
 „uxores compellantur; sed si in Subdia-  
 „conatu aut superioribus Ordinibus uxo-  
 „rem accepisse noscuntur, uxores dimit-  
 „tere, & pœnitentiam agere de commisso,  
 „per suspensionis & excommunicationis  
 „sententiam compellantur. *C. 4.* Sacer-  
 „dotes, qui nuptias contrahunt, quæ non  
 „nuptiæ, sed contubernia potiùs sunt  
 „nuncupanda, post longam pœnitentiam  
 „& vitam laudabilem continentes, officio  
 „suo restitui poterunt, & ejus executio-  
 „nem ex indulgentia sui Episcopi habere.  
 Quod limitatum vide *L. J. T. 21. C. 5.* Man-  
 „dat Pontifex, ut Episcopus Clericos, qui  
 „matrimonia contraxerunt, & Ecclesia-  
 „stica beneficia detinere contendunt, quia  
 „in eorum conversatione cythara cum  
 „psalterio malè concordat, i. e. *laicalis*  
*conversatio cum Clericali ministerio*, ut ait  
 Gl. „appell. rem. beneficiis privet.

2. Ex his inferunt DD. Clericum Mi-  
 noristam per subsequens matrimonium

validum ipso jure amittere præhabita beneficia & pensiones Ecclesiasticas, quia per assumptionem statûs incompatibilis tacite & ipso facto iis renuntiat. *Nec obstat*, quòd in cit. cc. dicatur, eos compellendos & privandos; *Nam* id intelligitur de privatione facti seu possessionis per actualem expulsionem etiam manu militari, si violentè ea pergant detinere; non de privatione juris seu tituli, utpote quò jam ante per Canones privati supponuntur, quia ad relinquenda beneficia compelli debent.

3. *An autem Minorista scienter vel ignoranter contrahens matrimonium invalidum; aut Majorista ob attentatum matrimonium sint ipso facto privati beneficiis, an verò privandi per sententiam, ut ante eam lucrentur fructus, & sine nova collatione ea retinere possint?* Controvertunt Canonistæ teste *Wagn. ad c. i. h. t.*

4. Verùm *C. un. in 6. h. t.* statuitur: „Si Clericus Minorista contraxerit cum „unica & virgine, ac tonsuram & habitum clericalem deferat, (insuper juxta „*Trid. sess. 23. de Ref. c. 6.* ab Episcopo sit „deputatus ad alicujus Ecclesiæ ministerium) gaudeat privilegio Canonis & „fori; neque trahi potest criminaliter aut „civiliter ad judicium sæculare, nec à sæ-  
„culari-

„cularibus iudicibus debet personaliter  
 „vel etiam pecunialiter ullatenus con-  
 „demnari. Quod *Engel h. t. n. 7. & 8.* etiam  
 extendit ad uxorem illius, quia uxor se-  
 quitur forum mariti. Talis tamen Cleri-  
 cus licitè exercet negotiationem hone-  
 stam victûs causâ, (quamvis aliis Cleri-  
 cis non conjugatis ea sit interdicta) quo  
 casu consueta vectigalia tanquam laicus  
 præstare tenetur; imò si una dictarum  
 trium conditionum in Minorista conjuga-  
 to deficiat, nullo prorsus gaudet privile-  
 gio Clericali.

#### TITULUS IV.

*De Clericis non residentibus in Ecclesia  
 vel Præbenda.*

**R**evisis iis, quæ in *Nuc. Theol. Ex. 18.*  
*n. 5. §. 2.* de Residentia præcisa & cau-  
 sativa dicta sunt, specialiter *h. t.* obser-  
 vanda sunt sequentia:

**I. I.** In *Decret. c. 3.* „Cùm Ecclesia vel  
 „Ecclesiasticum ministerium committi  
 „debet, talis ad hoc quærat persona,  
 „quæ residere in loco, & curam ejus per  
 „seipsam valeat exercere; quòd si aliter  
 „actum fuerit, & qui receperit, acceptum  
 „amittat; & qui dederit, largiendi po-  
 „testate privetur. Item *C. 4.* Cùm perso-

„næ tali Ecclesia vel beneficium Eccle-  
 „siasticum confertur, quæ residere in loco  
 „& curam ejus per se valeat exercere, sed  
 „efficere contradicat: rescribit Pontifex:  
 „Cum verba accipienda sint cum effectu,  
 „tales si præsentati fuerint, non debent  
 „admitti, & admissi poterunt amoveri,  
 „nisi fortè de licentia suorum Prælato-  
 „rum, vel studio literarum, vel pro aliis  
 „honestis causis contigerit eos abesse.

2. Conformiter his tradunt DD. Jure  
 antiquo omne beneficium etiam simplex  
 (quod inter Ecclesiastica ministeria com-  
 putatur) requirere assiduam residentiam.  
 Verùm hodie per generalem consuetudi-  
 nem beneficia simplicia residentiam per-  
 sonalem non exigunt, sed potest quis per  
 substitutum eisdem deservire, (nisi ex  
 fundatione, statuto aut consuetudine par-  
 ticularis Ecclesiæ specialiter cautum sit,  
 ut per se deserviat) exceptis Canonicati-  
 bus; nam *Trid. sess. 24. de Ref. c. 12.* ex-  
 pressè decernit: „Obtinentes in Ecclesiis  
 „Cathedralibus aut Collegiatis Dignita-  
 „tes, Canonicatus, Præbendas aut por-  
 „tiones, non liceat vigore cujuslibet sta-  
 „tuti aut consuetudinis ultra tres menses  
 „ab eisdem quolibet anno abesse; alioquin  
 „primo anno priventur dimidiâ parte  
 „fructuum; altero omnibus fructibus;

„ crescente verò contumaciâ, ut si nec ter-  
 „ tio anno debite resederint, procedatur  
 „ ad privationem beneficii. Nihilominus  
 de facto ex consuetudine aut specialibus  
 Ecclesiarum Statutis ac Privilegiis multa  
 aliter fieri & excusari videmus, v. g. quòd  
 Canonicatus tales requirant tantum re-  
 sidentiam semestris vel trimestris, qui  
 tunc juxta *Laym. apud Busenb. L. 4. c. 2.  
 dub. 1. art. 4.* inter beneficia compatibilia  
 sunt numerandi. Valde tamen timendum  
 esse, ait *Wagn. h. t. ad c. 3.* ne in multis  
 corruptela potius quàm rationabilis con-  
 suetudo irrepserit, & pravilegia magis  
 sint quàm privilegia, quæ obtenduntur.

2. C. 7. „ Statuit Pontifex, ne Canoni-  
 „ cis, dum sunt in servitio Prælati, quid-  
 „ quam subtrahatur, quod de Communi-  
 „ tatis beneficio ipsis debetur, nisi forte  
 „ sint victualia, quæ non consueverunt  
 „ absentibus exhiberi. Et C. 15. Cùm Epi-  
 „ scopus M. Canonicorum suorum servi-  
 „ tio vellet uti, illique obtenderent Con-  
 „ stitutionem suæ Ecclesiæ juratam & a  
 „ Sede Apost. confirmatam, ut Canonici  
 „ non residentes priventur fructibus, illis  
 „ duntaxat exceptis, quos infirmitas ex-  
 „ cusaret, vel in servitio Sedis Apost. con-  
 „ tingerit detineri, aut studia traherent lite-  
 „ rarum, decernit Pontifex, ut duo ex  
 „ Ca.

„suarum fructus integrè percipiant Præ-  
 „bendarum, cum absentes dici non de-  
 „beant, sed præsentés, qui cum Episcopo  
 „pro ipsius & Ecclesiæ servitio commo-  
 „rantur; quia ut dicitur *Can. Scire debes*  
 „*7. q. 1. Episcopus in Ecclesia est, & Ecclesia*  
 „*in Episcopo.*

4. Unde Episcopus potest duos Cano-  
 nicos Cathedrales vel Collegiatos, non  
 plures, assumere & cogere, ut sint in suo  
 servitio seu Canonici à latere, qui fictione  
 juris habentur pro residentibus, iisque in  
 absentia debentur fructus grossi seu cor-  
 pus Præbendæ, qui annuatim seu certis  
 anni temporibus juxta Ecclesiæ cuiusque  
 consuetudinem ex fundis & redditibus in-  
 ter debite residentes distribuuntur; non  
 verò eis debentur distributiones quoti-  
 dianæ, quæ tantum dari solent statis horis  
 Divino Officio interessentibus, solentque  
 appellari vel *Manualia*, quia communiter  
 ad manum solvuntur; vel *Præsentia*, quia  
 a præsentibus tantum percipiuntur; vel  
*Victualia*, quia sæpe constant panibus Præ-  
 bendariis aliisque esculentis. Notat tamen  
*Engelb. t. n. 36.* Si alicubi certa victualia, ut  
 frumentum, vinum, pisces, &c. certis anni  
 temporibus inter residentes Canonicos  
 sine respectu ad singulas in choro præsen-  
 tias

tias distribuantur, potius fructibus annuis seu de mensa grossa, quam distributionibus esse accensenda; & consequenter, qui in absentia fructus annuos, etiam istos lucrabitur per se, seu secluso statuto aut consuetudine speciali.

5. II. *In 6. c. un. b. t.* „Consuetudinem, „quæ in quibusdam Ecclesiis inolevit, „percipiendi distributiones, dummodo „Canonici aliique beneficiati præsentem „sint in Civitate, licet Officiis Divinis non „interessent, Pontifex penitus reprobatur, „statuens, ut eæ, in quibuscunque rebus „consistant, inter eos tantum dividantur, „qui Officiis Divinis in ipsis Ecclesiis in- „terfunt, juxta cujusque Ecclesiæ rationa- „bilem ordinationem jam factam aut fa- „ciendam. Qui verò aliter de distribu- „tionibus ipsis quidquam acceperit, (exce- „ptis iis, quos infirmitas seu justa & ratio- „nabilis corporalis necessitas, aut quos „evidens Ecclesiæ utilitas excusat) earum „dominium non acquirat, nec eas faciat „suas, & ideo ad omnium restitutionem „teneatur. De Distributionibus etiam pro „defunctorum anniversariis idem obser- „vandum est. Unde portiones funerales, „juxta *Pirrh. b. t. n. 97.* etsi non veniant no- „mine distributionum, iis tamen æquipa- „rantur, & eodem jure ac privilegio gau- „dent.

dent. Hanc Constitutionem etiam à Canonessis earumque Abbatissis censet observandam *Lac. L. 4. n. 881.* eamque innovavit *Trid. l. cit.* dicens: „Distributiones, qui statis horis interfuerint, recipiant; reliqui quavis collusionem aut remissione exclusâ his careant. *An verò portiones absentium accrescant presentibus, vel Ecclesie, aut mensæ communi?* Spectanda est consuetudo vel ordinatio rationabilis singularum Ecclesiarum.

6. Nonnullæ tamen hoc Cap. assignantur causæ, ob quas absentes fictione juris non tantum residentes, sed etiam Divinis interessentes habentur, ut iis quoque debeantur distributiones, videl. 1. *Infirmitas*, per quam impeditur quis Divinis interesse, estò causam infirmitati dederit. *Nec obstat*, quòd famulo ægrotanti non debeatur salarium. *Nam* Clerico infirmo non dantur distributiones tanquam merces & salarium laboris impensi, (aliàs esset simonia) sed tanquam stipendium in alimenta propter obligationem ad ministerium Ecclesiasticum, & Ecclesia suos ministros non tanquam famulos conductos, sed ut filios vult tractari, quibus etiam infirmis à parentibus debentur alimenta. Ob hanc causam etiam distributiones lucrari possunt, qui

causâ sanitatis, sectione venæ usi, ad ther-  
 mas abeunt, curâ acidularum utuntur,  
 &c. Item senes v. g. octuagenarii, aut  
 qui 40 annis soliti sunt chorum frequen-  
 tare juxta consuetudines locorum. 2. *Cor-*  
*poralis necessitas*, si v. g. Canonico ex as-  
 sistentia Chori grave damnum ab inimico  
 immineat &c. 3. *Evidens Ecclesia*, non  
 universalis, sed propriæ, *utilitas*; si v. g.  
 Canonicus aliò mittatur ad tuenda jura  
 suæ Ecclesiæ; & quamvis tali de jure  
 communi ex *Cap. 30. de Elect. in 6.* non  
 debeantur distributiones, tamen *in cit.*  
*Cap. un. h. t.* Bonifacius approbat con-  
 suetudinem, ut & ipsi tribuantur. In va-  
 riis insuper casibus ex Privilegio Apost.  
 v. g. visitantes nomine Episcopi limina  
 Apostolorum &c. aut consuetudine à jure  
 non reprobata absentes acquirunt distri-  
 butiones, de quibus Canonistæ h. t. sal-  
 tem absenti causâ studiorum distribu-  
 tiones non debentur; nam *c. 32. de Præbend.*  
 rescribit Pontifex: „Etsi Archidiacono  
 „E. in sacra Pagina cupienti studere jul-  
 „ferit proventus suos integrè ministrari,  
 „nolle se tamen, ut quotidianæ ei distri-  
 „butiones tribuantur.



## TITULUS V.

## De Præbendis &amp; Dignitatibus.

**Nota I.** PRÆBENDAM, quæ est jus percipiendi redditus Ecclesiasticos, differre I. A *Canoniam*, quæ est jus quoddam spirituale, quod ex receptione alicujus in fratrem seu Canonicum oritur, tribuitque stallum in choro & vocem in Capitulo, si sit in Sacris constitutus, ad colligendum Episcopum; cui *C. 9. h. t.* mandat Pontifex: „Præbendam vacantem vel „primò vacaturam assignari, quia non est „congruum, ut Præbendâ careat, qui in „Canonicum noscitur esse receptus. Et „C. 19. Portionem quotidianam seu distributiones sine diminutione exhiberi; & tales dicuntur Canonici in herbis, habentes jus ad rem; Præbendati verò, Canonici in floribus. Verùm hodie in Germania regulariter non recipitur quis in Canonicum supernumerarium sine Præbenda Canonicali; qui ob defectum residentie aliudve impedimentum carent perceptione fructuum, vocantur Canonici Domicellares. 2. A *Pensione*, quæ non obligat ad spirituale ministerium. Unde Præbenda propriè est beneficium. Quid & quotuplex hoc sit? Vide in *Nucl.*

*Theol. Exam. 18. n. 1.* Quænam requirantur ad validam beneficii erectionem, ut auctoritas Episcopi, Dos congrua, Ecclesia vel Capella, cui adscribendum? &c. Vide apud *Leur. in Foro benef. p. 1. q. 13. & seqq.* in quo doctissimè pertractat omnem materiam beneficiale.

2. Nota 2. Ex Præbendis seu beneficiis alia esse DUPLICIA, quæ habent annexam aliquam qualitatem juris, nempe vel *Dignitatem*, quæ est præ eminentia cum jurisdictione in foro externo circa alios Clericos vel laicos, ut Decanatus, Archidiaconatus, Vicariatus Episcopi, licet non fit beneficium, quia de se non est perpetuus, &c. vel *Personatum*, qui est præ eminentia sine jurisdictione, qualem habet ille, qui præ cæteris Canonicis sui Ordinis, estò senioribus, prærogativam habet in Choro, Capitulo, Optionibus aut Processionibus, v. g. Præpositus, Vice-Dominus, &c. vel *Officium*, quod sine præ eminentia & jurisdictione habet annexam administrationem aliquam, v. g. Cellerarii; Thesauraria in quibusdam Capitulis est Dignitas vel Personatus, in aliis tantum Officium; vel *Curam animarum* pro foro duntaxat interno, dicunturque curata, v. g. Pastoratus aut Vicariatus illius perpetuus. Alia SIMPLICIA, quæ nullam habent

ex dictis annexam qualitatem, sed solum obligationem Divina peragendi, v.g. Missas legendi, in Choro assistendi, &c. ut Canonicatus & Capellaniæ, quanquam in Rescriptis Apost. juxta *c. 4. h. t. in 6.* nomine beneficii simplicis non veniat Canonicatus Cathedralis. *An beneficium, cui annexum est onus administrandi Sacramenta & adjuvandi Rectorem in cura, sit dicendum simplex vel curatum?* Vide *Leur. loc. cit. q. 32. n. 7.*

3. Nota 3. Affectionem beneficii esse vinculum & impedimentum, vi cujus Papa illud ad se avocat, ut à nullo inferiore validè conferri possit; fitque dupliciter, nempe vel per RESERVATIONEM, sive contentam in Corpore Juris clauso, i.e. Decretalibus, Sexto vel Clementinis; sive extra Corpus Juris clausum, i.e. in Extravagantibus aliisque Bullis Pontificiis posterioribus, fitque verbis expressis, ut si Papa dicat: *Reservamus Nobis.* Et plerumque pro semper. Vel PER APPPOSITIONEM MANUS PONTIFICIÆ, quæ respicit actum realem seu factum, quo Papa incipiens disponere de aliquo beneficio impedit Ordinarium, ut pro ea vice illud conferre nequeat, v.g. si beneficium suæ collationis det *in Commendam* alicui inhabili ob defectum qualitatis requisitæ ad obtinendum

illud viâ ordinariâ in titulum, sed viâ extraordinariâ & tacitè dispensativâ habitato ad obtinendum illud per modum Commendæ; tunc enim mortuo Commendatario manet affectum usque ad plenam ejus provisionem, ut docet *Garzia* apud *Engel. h. t. n. 14.* contra alios. Item si Papa acceptavit resignationem validam apud se factam; privet Clericum beneficio Patronatûs Ecclesiastici; prohibeat Electoribus, ne procedant ad electionem novi Prælati &c.

4. Verùm affectio locum non habet, si Papa apposuerit manum ad alium effectum quàm conferendi, v. g. ad imponendam pensionem; aut si falso narratum sit collationem spectare ad Papam, qui non vult præjudicare juri Tertii, v. g. Patroni laici aut Turnarii; item si Papa manus apponat super beneficio resignato, cujus resignatio est sub - vel obreptitia, v. g. si resignans tacuerit, se illius Titulo esse ordinatum; aut Resignatarius tacuerit beneficia præhabita; si enim tunc ante literas sanatorias aut *Perinde valere* Resignans moriatur, beneficium non est affectum, sed vacat per obitum resignantis, ut ex tunc ordinario collatori vel Turnario competat jus conferendi, quia Papa tunc non apposuit manum, nisi in ordine

ad

ad illud conferendum Resignatario, ut  
 cum communi *Corr. Prax. Benef. L. 5. c. 1.*  
*n. 69. Garz. p. 5. c. 1. &c.* Idem est, si Re-  
 signatarius expeditis literis *in Forma Gra-  
 tiosa vel Dignum* reperiat in inhabilis,  
 ideòque beneficium consequi non possit,  
 tunc enim non abdicatur jus à resignante;  
 (nisi resignarit in favorem inhabilis, con-  
 sciis illius inhabilitatis) quia resignatio  
 conditionalis non abdicat jus à resignan-  
 te, nisi purificatâ conditione per effectua-  
 tionem resignationis in resignatario, ut  
 docent DD. apud *Leur. in Foro Benef. p. 3.*  
*q. 240. Vide L. 1. T. 9. n. 7.* Notabilia  
 h. t. sunt:

5. I. *In Decret. c. 2.* „Episcopus duo-  
 rum alterum eligat, vel non faciat Cle-  
 ricos; vel si fecerit, det illis, unde vivere  
 possint. C. 4. Episcopus, si aliquem sine  
 certo titulo sustentationis ordinaverit  
 in Diaconum aut Presbyterum, ei tam  
 diu necessaria subministret, donec ei  
 conveniens stipendium Clericale in ali-  
 qua Ecclesia designet, nisi talis ordina-  
 tus de sua vel paterna hereditate sub-  
 sidium vitæ habeat. Unde etiam titulum  
 patrimonii ad sacros Ordines sufficere,  
 expresse statuitur *h. t. c. 23.* Vetat autem  
*Trid. sess. 21. de Ref. c. 2.* „Ordinari Cle-  
 ricostitulo patrimonii vel pensionis, nisi  
 „Epi-

„Episcopo perspectum sit, patrimonium  
 „illud vel pensionem verè ab eis obtineri,  
 „ac ad vitam sustentandam sufficere; at-  
 „que illa deinceps sine licentia Episcopi  
 „alienari aut extinguì vel remitti nulla-  
 „tenus possint, donec beneficium Eccle-  
 „siasticum sufficiens sint adepti, vel aliun-  
 „de habeant, unde vivere possint. Vide  
*Nuc. Theol. Exam. 27. n. 7. §. 8.*

6. C. 26. „Cùm Episcopus ex vacante  
 „Præbenda duas constituens, ad illas de  
 „assensu Capituli duos Canonicos assum-  
 „psisset, respondit Pontifex: Quia Con-  
 „cilium Turonense sectionem inhi-  
 „bent Præbendarum, teneri Episcopum Præ-  
 „bendam integrare, nisi ex rationabili  
 „causa de una Præbenda duæ fuerint con-  
 „stitutæ, ac tot sint utriusque proventus,  
 „ut utrique provisum sit competenter.  
 Unde sicut Episcopus potest ex causa, jux-  
 ta *c. 33. h. t.* unire beneficia, v. g. si ob-  
 tenuitatem reddituum non sufficiant ad  
 sustentationem plurium, ita quoque ex  
 causa potest unum secare in plura, aut  
 etiam dismembrare, abundantes redditus  
 unius alteri tenui assignando; aut ex his  
 constituere Præstimonium, v. g. pro pau-  
 peribus Clericis, ut studiis vacent. Vide  
 infra *Tit. 12.*

7. *Famoso Cap. De multa 28. h. t.* statuit  
 Pon-

„Pontifex, ut accipiens beneficium cura-  
 „tum, si prius tale habebat, eo fit ipso jure  
 „privatus; ac si fortè illud retinere con-  
 „tenderit, etiam alio spoliatur. Is quo-  
 „que, ad quem prioris spectat collatio,  
 „illud post receptionem alterius liberè  
 „conferat alteri idoneo, ac si ultra sex  
 „menses conferre distulerit, ad alium se-  
 „cundùm Lateran. statutum devolvatur.  
 „Hoc idem observandum in Personati-  
 „bus & Dignitatibus, ut nullus plures ha-  
 „bere præsumat, etsi curam non habeant  
 „animarum. Circa sublimes tamen & lite-  
 „ratos personas, cum ratio postulaverit,  
 „per Sedem Apost. poterit dispensari.  
 Hanc Constitutionem Trid. *sess. 7. de Ref.*  
*c. 4.* extendit ad quævis beneficia incom-  
 patibilia, saltem de jure seu primi gene-  
 ris. *An autem, si quis obtineat aliud bene-*  
*ficiu incompatibile secundi generis* (de  
 quo in *Nucl. Theol. l. c. n. 3. §. 1.*) *ipso jure*  
*vacet primum?* Affirmat *Garz.* citans va-  
 rias Declarationes, eò quòd talis post ob-  
 tentam possessionem secundi tacitè & ipso  
 facto censeatur renuntiare priori. Negat  
*Navarrus*, docens, tales tantùm cogen-  
 dos ad dimittendum alterutrum, quod  
 maluerint, infra mensem, cujus senten-  
 tiam in praxi tutam censet *Wagn. ad h. c.*  
*Pirrh. h. t. n. 149.* Verùm quia juxta *c. 5.*  
h. s.

„*b. t.* multitudo Præbendarum est Cano-  
 „nibus inimica, Trid. *sess. 24. de Ref. c. 17.*  
 „mandat, ut imposterum unum tantum  
 „beneficium Ecclesiasticum singulis con-  
 „feratur; quod quidem, si ad vitam ejus,  
 „cui confertur, honestè sustentandam  
 „non sufficiat, liceat nihilominus aliud  
 „simplex sufficiens, dummodò utrumque  
 „personalem residentiam non requirat,  
 „eidem conferri. Hinc etiam posset quis  
 „duos Canonicatus Cathedralis in Germa-  
 „nia, si uterque non exigat nisi tres vel  
 „quatuor menses residentiaè, simul obti-  
 „nere sine dispensatione, ut prior insuffi-  
 „ciens non vacet per obtentionem secundi,  
 „estò sufficientis. *An possit quis simul habe-  
 „re plura insufficientia beneficia quàm duo?*  
 „Vide apud *Lac. l. 4. n. 901.* Saltem non  
 „potest Episcopus dispensare, ut quis ha-  
 „beat simul duo beneficia sufficientia, quia  
 „inferior nequit dispensare in lege superio-  
 „ris, licet possit v. g. Parocho ob necessita-  
 „tem vel utilitatem Ecclesiæ dare Eccle-  
 „siam vicinam in commendam tempora-  
 „lem, (non perpetuam) seu modo provi-  
 „sorio ad tempus v. g. semestre, juxta *c. 15.  
 „de elect. in 6.*

8. Denique *c. 30. b. t.* „cùm os bovis al-  
 „ligari non debeat tritulantis, sed qui  
 „altari servit, debeat vivere de altari,  
 „man-

„mandat Pontifex, ut abolitâ consuetu-  
 „dine, quâ Episcopi vel patroni Ecclesia-  
 „rum parochialium, proventus ipsarum  
 „sibi vendicantes, Presbyteris illarum  
 „relinquunt adeò exiguam portionem,  
 „ut ex ea congruè nequeant sustentari,  
 „portio Presbyteris ipsis assignetur suffi-  
 „ciens. Parochus verò Ecclesiæ suæ non  
 „per Vicarium, sed per seipsum deserviat,  
 „nisi fortè Dignitati vel Præbendæ majo-  
 „ris Ecclesiæ talis cura sit annexa; is enim,  
 „cùm oporteat eum in majori Ecclesia  
 „deservire, in Parochiali idoneum & per-  
 „petuum habeat Vicarium, assignatâ ei  
 „congruâ de Ecclesiæ proventibus por-  
 „tione. Vide *L. J. T. 28. n. 2.*

9. II. *In 6. statuuntur sequentia c. 2. h. t.*  
 CLEMENS III. inviolabiliter observari sta-  
 „tuit: „Ut Ecclesias, Dignitates, Perfo-  
 „natus aut beneficia apud Sedem ipsam  
 „(i. e. *per obitum in curia*) „deinceps va-  
 „catura præter Rom. Pontificem nemo  
 „deinceps alicui conferre præsumat; si  
 „secus factum fuerit, decernitur irritum  
 „& inane. Verùm *c. 3.* statutum Clemen-  
 „tis III. Greg. X. ità moderatur: „Ut ii,  
 „ad quos eorundem beneficiorum & Di-  
 „gnitatum spectat collatio, demum post  
 „mensẽ à die, quo vacârît, numeran-  
 „dum ea conferre valeant. Et *C. 34. Boni-*  
 „facius

„facius VIII. declarat, Statutum hoc  
 „Clementis de Beneficiis in Curia vacan-  
 „tibus soli Papæ reservatis locum habere  
 „& in Beneficiis, quæ quivis ad Rom. Cu-  
 „riam venientes vel inde recedentes ob-  
 „tinent, si in vicinia Curia moriantur,  
 „perinde ac si in loco, ubi residet Curia,  
 „morerentur. Loca verò vicina hîc in-  
 „telliguntur, quæ ultra duas dietas lega-  
 „les à loco, ubi moratur Curia, non di-  
 „stant. Hæc Reservatio localis, seu orta  
 „ex vacatione per obitum in loco Curia vel  
 „vicino, videtur unica esse clausa in Corpo-  
 „re Juris. Cæteræ enim Reservationes ortæ  
 „vel ex ipsa beneficii qualitate, v. g. quia  
 „habet annexam primam Dignitatem; vel  
 „ex tempore, quia v. g. vacat in mense Pon-  
 „tificio; vel ex persona, quæ v. g. est Car-  
 „dinalis, Episcopus vel familiaris Papæ &c.  
 „factæ sunt per Extravagantes aut Consti-  
 „tutiones Apost. posteriores.

10. Circa hæc notant DD. 1. Non com-  
 „prehendi sub hac Reservationem locali be-  
 „nificia vacantia per obitum in Curia, quæ  
 „ad Jus - Patronatûs laicorum spectant.  
 „2. Collatorem ordinarium elapso mense  
 „posse conferre beneficium unice per obi-  
 „tum in Curia vacans, (secus, si ex alio ca-  
 „pite insuper sit Papæ reservatum) et si Pa-  
 „pa nesciverit vacare beneficium; si verò  
 „eciam

etiam alio modo sit Papæ reservatum, quia  
 v. g. vacavit in mense Pontificio, Collator  
 ordinarius intra tempus à jure expressum  
 non posset illud conferre. 3. Per Dietam  
 legalem intelligi viginti milliaria Italica,  
 seu quatuor circiter Germanica. 4. Per  
 Curiam Romanam intelligi locum, ubi  
 est ipse Papa; & præterea, ubi est causa-  
 rum & literarum Apostolicarum audien-  
 tia. Ita *Wagn. in cit. Capitibus h. t.*

ii. C. 4. „Quamvis aliàs in beneficiis  
 „plenissima interpretatio sit facienda, lite-  
 „ræ tamen super beneficiis obtinendis,  
 „cum sint ambitiosæ, debent restringi;  
 „ideo cum alicui Papa mandat provideri  
 „in aliqua Ecclesiarum Civitatis vel Diœ-  
 „cesis, ad Ecclesiam Cathedralem id non  
 „extenditur. Neque juxta C. 16. ad bene-  
 „ficia curata, si de animarum cura men-  
 „tio non sit habita; neque juxta C. 27.  
 „& 29. ad præbendam Sacerdotalem, si  
 „Papa mandet provideri tali de non sa-  
 „cerdotali; aut vacante Præbendâ non  
 „sit ejus ætatis, in qua ad sacerdotalem  
 „possit promoveri. Neque ad Præben-  
 „dam electivam, si nulla electionis facta  
 „sit mentio, juxta *c. 1. in Clement. h. t.*  
 „Non enim ejusmodi mandata debent ad  
 „casus alios quàm expressos extendi.

12. C. 5. statuitur: „Cum de beneficio

Y

„ Ec-

„Ecclesiastico sæculari Papa jubet alicui  
 „provideri, id debet intelligi de illo, quod  
 „ab uno vel pluribus Clericis sæcularibus  
 „tanto tempore continuè ac pacificè fuit  
 „gubernatum, quantum ad legitimam  
 „præscriptionem complendam sufficiens,  
 „etsi ante Religiosi illud obtinuerint. Ex  
 quo patet, statum beneficii per præscri-  
 ptionem 40 annorum posse mutari è Re-  
 gulari in sæcularem, & econversò, v. g.  
 si Collator in collatione dicat Regulari  
*Confero tibi beneficium Regulare; & sæcu-*  
*lari Clerico: Confero tibi beneficium secu-*  
*lare,* licet ex Fundatione non sit illius qua-  
 litatis, modò uterque bonâ fide procedat,  
 & ab uno vel pluribus 40 annis taliter pos-  
 sideatur, ut notat Pirh. b. t. n. 122. An  
*tem possit quoque præscribi contra onera,*  
*v. g. numerum Missarum aliàsque condi-*  
*tionibus in Fundationibus beneficio clarè ap-*  
*positas?* Controvertunt DD. apud Lac. La.  
 n. 852. Aliqui affirmant *arg. Capitis cum*  
 Alii negant, eò quòd præsumi debeat, be-  
 neficiatum ex Fundatione cognovisse le-  
 ges beneficii, adeòque malâ fide neglexisse,  
 nisi ostendat dispensationem vel præ-  
 vilegium. Saltem Beneficiatus contra se  
 non præscribit plura onera, quia *actus per*  
*errorem gestus non nocet erranti. L. si per*  
*errorem ff. de Jurisdic. N. D.* Juxta com-

munem Beneficialistarum Regulam: *In beneficiis ultimus status est attendendus.*

Nam id tantum valet, quando de statu anteriore est dubium, seu non constat contrarium ex Fundatione vel authenticis documentis; ita ut contra priorem statum non sit legitime præscriptum.

C. 17. rescribit Pontifex: „Si tibi absenti Episcopus conferat beneficium, quamvis, donec id ratum habueris, jus in ipso beneficio, ut tuum dici valeat, non acquiras; Episcopus tamen vel alius Collator, nisi consentire recuses, alteri conferre valide non poterit; assignato autem ad consentiendum competente termino, nisi consenseris, eo elapso beneficium alteri liberè potest conferri.

C. 18. „Qui beneficium curatum vi occupat, sive se scienter injustè intrudit in eo, ipso jure est privatus beneficio, quod cum cura simili prius obtinebat. Insuper violenti qui propriâ auctoritate Dignitates, Personatus, aliâque beneficia Ecclesiastica occupare non verentur, eo ipso jus, si quod in beneficiis taliter occupatis vel ad ea ipsis forsitan competebat, amittunt. INTRUSUS dicitur, qui absque legitimo titulo accipit, vel retinet beneficium; VIOLENTUS verò, qui post collationem sibi factam propriâ auctori-

tate capit possessionem, pristinum possessorem per vim expellendo, quod non licet; quamvis talis possit tunc pacifice capere possessionem juris, si v.g. cui à Collatore mandata est installatio seu inductio in possessionem, id negligat, aut alii eam injustè impediunt. Ita *Wagn. ad h. c.* De jure tamen communi nullum capiendæ possessionis tempus præfixum est, ut notat *Lac. n. 458.* Adeoque relinquitur arbitrio prudentum, quanto tempore Collatarius omittens capere possessionem censeatur beneficium velle pro derelicto.

14. C. 20. „Si beneficia, quæ per Sedem  
 „Apost. conferuntur aut reservantur,  
 „contingat ab ordinariis Collatoribus  
 „collationem Papæ aut reservationem  
 „ignorantibus aliquibus conferri, & beneficia,  
 „beneficia, quæ antea tenebant, ideo  
 „illis dimitti, eaque sic dimissa per Collatores  
 „aliis assignari, ne ignorantia inculpabilis  
 „ipsis præjudicet, statuit Pontifex: ut, si de re  
 „postea certiores effectus, absque difficultate  
 „beneficia sic sibi collata dimittant, collatione  
 „aliis factâ nequaquam obstante, liberè ad  
 „primos revertantur; secus, si difficultates fuerint  
 „in illis dimittendis. Et C. 21. rescribit Pontifex: „Dispensationem sibi

per pluralitate beneficiorum non pro-  
desse illi, qui quantumcunque modi-  
cum in ea subticuerit obtinenda. Item  
cum obtinenti beneficium de alio in-  
compatibili provideri contingit, per hoc  
cum ipso, ut primum cum secundo re-  
tinere valeat, non intelligi dispensatum;  
sed id solum, quod gratia facta non  
sit subreptitia. Unde ad utrumque re-  
tinendum requiritur expressa dispen-  
satio.

15. C. 23. „Si motu proprio Papa ali-  
cui beneficium obtinenti confert aliud,  
nullâ habitâ mentione prioris, non ideo  
gratia huiusmodi ex mera liberalita-  
te procedens invalida est; secus, si ad  
petitionem illius vel alterius pro eo-  
dem oblatam Pontifex huiusmodi gra-  
tiam facit, tunc enim taciturnitas quan-  
tumcunque modici beneficii illam fa-  
cit subreptitiam; motu autem proprio  
tunc solum gratia fieri censetur, cum  
hoc expressum fuerit in literis. Vide

l. 1. T. 3. n. 4. C. 26. „Si tibi Episco-  
pus beneficium vacans curatum ha-  
benti aliud simile conferat, æquum  
est, ut quamdiu ipsius fructus non per-  
cipis, primum non debeat reputari va-  
care. Et C. 28. Licet Episcopus benefi-  
cium curatum, postquam quis alterum

„curatum recepit & pacificè possidet, vel  
 „per eum stetit, quominus ejus possessio-  
 „nem caperet, alteri de jure conferre pos-  
 „sit; non debuit tamen hunc, illo non vo-  
 „cato, cum forsan jus habeat retinendi,  
 (v.g. per privilegium vel dispensationem,  
 aut quia nondum percipit fructus secun-  
 di beneficii) „in possessionem inducere  
 „corporalem. Ex quibus colligitur, ad  
 vacationem primi beneficii incompati-  
 bilis per assecutionem secundi non suffi-  
 cere solam hujus collationem & accepta-  
 tionem, sed præterea requiri, ut sit asse-  
 cutus possessionem fructuosam ad con-  
 gruam sustentationem; & pacificam de  
 jure seu non litigiosam, ne talis puniatur  
 bis in idipsum, amissione prioris benefi-  
 cii & periculo amittendi etiam posterius  
 propter ancipitem litis aleam. Unde etiam  
 per obtentionem Episcopatus Titularis  
 non vacant beneficia præhabita.

16. C. 33. „Cum singula Officia Eccle-  
 „siastica singulis personis sint conferen-  
 „da, prohibet Pontifex, ne Religiosi plu-  
 „ribus Prioratibus præesse præsumant.  
 „Hinc si Religiosus Prioratum obtinens  
 „aliud similem recipiat, priore sit ipso  
 „jure privatus, & statim dimittere debeat;  
 „quod si non fecerit, eo ipso ineligibilis  
 „efficiatur, & tanquam ambitiosus ab

„uro.

utroque omnino removeatur. Unde sicut in Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis sunt incompatibiles plures Dignitates, ita & in Religionibus, quia in iis eadem ratio locum habet, ut notat *Pirrh. l. 1. n. 177. & seqq.* Tales Dignitates juxta *Sannig h. t. c. 7.* sunt Generalatus, Commissariatus Generalis, Provincialatus, Guardianatus & Præsidentiatatus; non verò Definitoriatatus vel Vicariatus Conventûs.

17. C. 35. „Si Apostolicâ Sede vacante aliquas Parochias vacare contigerit, ne earum vacatio diutina periculum animabus afferat, per Ordinarios Collatores liberè ordinentur, non obstantibus Constitutionibus de beneficiis apud Sedem vacantibus. Idem fiat de beneficiis curatis ibidem vacantibus vivente Pontifice, si de ipsis ante suum obitum nihil ordinârit. Huic Constitutioni non est derogatum per Extrav. posteriores, ut docet *Pirrh. h. t. n. 338.* Verùm si Sede vacante vacent apud Sedem beneficia non curata, Neo-Pontifex illa post suam electionem adhuc intra mensem conferre potest, eò quòd licèt tempus istud unius mensis currat ignoranti Papæ, non tamen Sedi vacanti. Et C. 36. „Si cui generatim conceditur facultas aliquibus in certa Ecclesia conferendi beneficia ad Papam

„devoluta, hujusmodi specialis gratia,  
 „quam decet esse mansuram, non expirat  
 „etiam Re integrâ per obitum conceden-  
 „tis; secus est de potestate providendi  
 „certæ personæ in illius, non in provi-  
 „dentis, gratiam; hæc enim expirat, si  
 „concedens re integrâ moriatur. Vide  
 infra Regulam 15. Cancellariæ.

18. III. In *Clement. c. 3. h. t.* „Si plures  
 „Dignitates obtinens, aliam similem vel  
 „beneficium curatum sine legitima di-  
 „spensatione accipiat, post habitam pos-  
 „sessionem pacificam posterioris five ul-  
 „timi beneficii Dignitates priores ipso  
 „jure vacant; sicut si Dignitatem unicam  
 „obtinenti alia similis conferretur, ejus  
 „pacificâ possessione habitâ, prima de jure  
 „vacaret. Vide supra *Cap. 28. n. 7. & Cap. 26.*  
*& 28. in 6. n. 15.*

19. IV. In Extrav. JOANNIS XXII. Fa-  
 mos. Capite: *Execrabilis* un. h. t. „Exe-  
 „crabilis plurium Dignitatum & bene-  
 „ficiorum Curatorum ambitio ac dispen-  
 „sationes desuper extorqueri solitæ, ut  
 „limitentur, statuit Pontifex l. quòd ob-  
 „tinentes nunc ex dispensatione plures  
 „Dignitates, Personatus, Officia, Priora-  
 „tus aut beneficia, quæ sine dispensatione  
 „obtinere non poterant, unum tantum  
 „curatum cum Dignitate, Personatu vel  
 „Off.

„ Officio sine cura retinere possint; cæte-  
 „ ra verò beneficia sive cum cura, sive  
 „ sine cura, quæ ex dispensatione obtine-  
 „ bant, à tempore notæ hujus Constitu-  
 „ tionis intra mensem coram Ordinario  
 „ dimittere tenentur, alioquin tam his  
 „ quàm aliis beneficiis, quæ virtute hu-  
 „ jus moderationis retinere poterant, si-  
 „ mul ipso jure sint privati, & prorsus  
 „ inhabiles ad alia beneficia obtinenda  
 „ reputentur. 2. Qui plura talia benefi-  
 „ cia simul sine dispensatione retinent,  
 „ omnia sic detenta, illo duntaxat reten-  
 „ to, quod receperunt postremò, (dum-  
 „ modò collatio fuerit Canonica) intra  
 „ mensem itidem coram Ordinario di-  
 „ mittant, sub iisdem pœnis. 3. Qui dein-  
 „ cepti receperint Dignitatem vel Perso-  
 „ natum, sive officium aut aliud benefi-  
 „ cium curatum, si ante simile obtine-  
 „ bant, illud (quo ipso jure, si possessio-  
 „ nem secundi habuerint, vel per ipsos  
 „ steterit, quò minùs habeant, privati  
 „ sunt) coram Ordinario dimittere de-  
 „ bent pari modo, alioquin ex tunc sint  
 „ ipso jure privati secundo, & nedum  
 „ ad sacros suscipiendos Ordines, sed  
 „ etiam ad obtinendum quodcunque be-  
 „ neficium Ecclesiasticum sint inhabiles.  
 „ 4. Omnia & singula beneficia ejusmodi

„vacatura, ut præmittitur, vel dimissa  
 „Pontifex sibi & Sedis Apost. dispositioni  
 „reservat. *Utrum autem Pontifex tali  
 casu non tantum secundum, sed etiam pri-  
 mum sibi reservet?* Controvertunt Ca-  
 nonistæ apud *Engel h. t. n. 13. 5.* „Per  
 „Ordinarios Pontifex hîc intelligit Epi-  
 „scopos, in quorum Diœcesibus sunt  
 „beneficia sic dimittenda, aut ipsi dimit-  
 „tentes; ac Sede vacante Capitula Cathe-  
 „dralia, qui de beneficiis tam dimissis,  
 „quàm perditis Papam statim certifi-  
 „care studeant, ut de illis disponat. 6. De-  
 „clarat, illa duntaxat beneficia Eccle-  
 „siastica animarum curam habere, qua  
 „Parochias habent, in quibus animarum  
 „cura, non per Vicarios perpetuos, sed  
 „per ipsos Rectores vel illorum tempo-  
 „rales Vicarios exercetur. Notat tamen  
*Pirrh. h. t. n. 154.* quòd non obstante hac  
 Constitutione possit quis simul obtinere  
 duos Canonicatus simplices in diversis  
 Ecclesiis; quia Canonicatus, estò Cathe-  
 dralis, non est simpliciter Dignitas.

20. V. In Extrav. Comm. Famoso Cap.  
*Ad Regimen 13.* „Ad regimen Ecclesia-  
 „rum & Monasteriorum, uti & ad bene-  
 „ficia Ecclesiastica cupiens BENEDICTUS  
 „XII. viros assumi idoneos, qui præ-  
 „sint & profint, reservat i. omnes Eccle-  
 „sias

„fias etiam Episcopales, cæteraque bene-  
 „ficia cum cura vel sine cura, sæcularia  
 „& Regularia, etiam electiva, nunc apud  
 „Sedem Apost. vacantia, & imposterum  
 „vacatura. 2. Vacantia itidem per de-  
 „positionem, privationem, translatio-  
 „nem aut muneris consecrationis susce-  
 „ptionem à Prædecessore suo factas, & à se  
 „imposterum faciendas, necnon si electio  
 „seu postulatio cassata sive repulsa, vel  
 „renunciatio à suo Prædecessore aut à se jam  
 „admissa, vel imposterum cassanda vel  
 „admittenda. 3. Beneficia Cardinalium  
 „& Officialium dictæ Sedis, quos enu-  
 „merat, vacantia & vacatura. 4. Bene-  
 „ficia quorumcunque pro quibuscunque  
 „negotiis ad Rom. Curiam venientium  
 „vel inde redeuntium, si in ea vel intra  
 „duas dietas legales ab ea decesserint.  
 „5. Monasteria, Dignitates, beneficia  
 „cum vel sine cura etiam electiva, quæ  
 „ad majores Ecclesias, à se vel suo Præ-  
 „decessore promoti, aut à se promovendi  
 „tempore promotionis obtinebant vel  
 „obtinent. 6. Denique quæcunque be-  
 „neficia per affecutionem pacificam al-  
 „terius incompatibilis à suo Prædecessore  
 „collati vel à se conferendi vacantia aut  
 „vacatura suæ dispositioni (donec DEUS  
 „ipsum universalis Ecclesiæ regimini  
 „præ-

„præesse concesserit) reservat, decernens  
 „irritum & inane, quidquid secus attempta-  
 „tum fuerit. Hæc Constitutio, licet mor-  
 te Papæ conditoris expirârit, quilibet ta-  
 men Pontifex eam renovat in Regulis  
 Cancellariæ, éstque inserta concordatis  
 Germaniæ sub certis modificationibus  
 seu limitationibus, sub quibus perpetuita-  
 tem obtinuit. Quare ob affinitatem ma-  
 teriarum sit ad hunc Titulum

### APPENDIX PRIMA.

#### *De Regulis Cancellariæ.*

**Q**uid eæ sint, dictum est in Tit. Proce-  
 miali n. 12. & hodie communiter re-  
 censentur septuaginta duæ, è quibus se-  
 lectiores proponuntur, omissis iis, quæ  
 Officialibus Cancellariæ Apostolicæ aut  
 Romæ degentibus sunt scitu necessarie  
 vel utiles, in hisce locis seu extra Italiam  
 vix usu venientes.

REGULA I. „Pontifex reservat bene-  
 „ficia reservata in Extravagantibus *Exe-*  
 „*crabilis & Ad Regimen*, uti etiam benefi-  
 „cia contra formam Concilii Trid. colla-  
 ta, v.g. carenti legitimâ ætate, primâ Ton-  
 surâ, aliisve qualitatibus ab eodem Conci-  
 lio requisitis, si tamen id scienter factum.

II. „Reservat omnes Ecclesias Episco-  
 „pales.

„pales, omniâque beneficia ad quoscun-  
 „que Collatores spectantia, si vacent sede  
 „istorum Collatorum vacante. Hæc re-  
 „gula locum non habet in Germania, ubi  
 „Episcopatus sunt electivi; & collatio be-  
 „neficiorum, quæ sede vacante vacaverint,  
 „reservantur successori.

III. „Prohibet, ne provisi per Papam  
 „de secundo beneficio incompatibili cum  
 „priori, valeant prius in fraudem Apo-  
 „stolicæ reservationis, nullâ factâ de eo  
 „expressâ mentione, coram Papa vel alio  
 „resignare; aliàs utrumque beneficium  
 „vacare & reservatum censeatur.

IV. V. VI. VII. & VIII. „Reservat  
 „Dignitatem majorem post Pontificalem  
 „in Cathedralibus & Principalem in Col-  
 „legiatis, item beneficia collectorum  
 „fructuum Camerae, Curialium, Cubicu-  
 „lariorum, Ecclesiarum Lateranensis &  
 „Mariæ Majoris in Urbe, &c.

IX. Olim VIII. (super qua integrum  
 „Tractatum eruditè scripsit *Hieronimus*  
*Gonzalez*), „reservat omnia beneficia qua-  
 „litercunque qualificata in Januario, Fe-  
 „bruario, Aprili, Majo, Julio, Augusto,  
 „Octobri & Novembri extra Curiam ali-  
 „ter quàm per resignationem ad quorum-  
 „cunque dispositionem (non tamen lai-  
 „corum) pertinentia. Episcopis autem  
 „per-

„personaliter in suis Ecclesiis residentibus  
„alternativam sex mensium ad beneficia  
„conferenda, quæ jure ordinario ad libe-  
„ram ipsorum duntaxat, & ab aliis in-  
„dependentem dispositionem pertinent,  
„concessit. Hæc Regula ex communi  
DD. non habet effectum, si vacante Sede  
Apost. incipiat vacare beneficium, quia  
Regulis cum vita Papæ sublatis omnes  
menses sunt Ordinariorum; secus, si vacet  
beneficium vivo adhuc Pontifice, tunc  
enim manet reservatione affectum, si sit  
simplex. Neque locum habet in Germa-  
nia, quia per Concordata ordinariis Col-  
latoribus conceduntur sex menses; & col-  
latio Canonatuum Cathedralium va-  
cantium per obitum extra mensem Pon-  
tificium ex consuetudine vel privilegio  
pertinent ad Capitulum, cujus nomine  
Turnarii Capitulares conferunt. Cæte-  
rum mensis Papæ vel Ordinarii incipit  
à media nocte primi diei, & terminatur  
in media nocte ultimi diei ejusdem men-  
sis. In dubio invincibili, an Beneficiatus  
obierit mediâ nocte in mense Papæ vel  
Ordinarii, præsumptio juris stat pro Or-  
dinario. Juxta DD. apud *Reiffenst. h. t. n. 500.*  
*& seqq.* „Quamquam in dubio, an Papa  
„conferens beneficium jure ordinario  
„vel ob concurrentem potestatem præ-

„venerit ordinarium Collatorem, præ-  
 „ferenda sit collatio Papæ propter con-  
 „ferentis ampliorem prærogativam, ut  
 „dicitur *c. 31. h. t. in 6.* In casu posito autem  
 „dubitatur de reservatione, quæ veluti  
 „præjudicans Ordinario, ad quem de jure  
 „vel ex fundatione spectat collatio, pro-  
 „bari debet.

X. „Concessa per Prædecessorem  
 „mandat expediri in Forma: *Rationi con-*  
 „„gruit, ut concessa à Prædecessoribus, sed  
 „præpediente ipsorum obitu non expe-  
 „dita, plenum habeant effectum & ex-  
 „pediantur.

XI. „Declarat, Ecclesias & beneficia  
 „à Prædecessoribus, cum interpositione  
 „Decreti reservata, manere affecta; secus,  
 „si tantum vivâ voce sint reservata.

XII. „Revalidat literas infra annum  
 „ante diem obitûs à Prædecessore con-  
 „cessas, sive Gratia, sive Justitiæ, ut juxta  
 „earum formam procedi possit ac debeat.

XIII. „Revocat & cassat omnes unio-  
 „nes, suppressiones & dismembrationes  
 „beneficiorum quâvis auctoritate (non  
 „tamen Concilii Tridentini) factas, quæ  
 „suum nondum sunt sortitæ effectum.

XIV. „Revocat quascunque faculta-  
 „tes concessas Episcopis aliisque Prælati-  
 „ac personis de dispensando cum quibus-

„vis

„vis personis super matrimonio contra-  
 „cto vel contrahendo in gradu prohibito,  
 „Natalium & ætatum defectu, incompa-  
 „tibilitibus beneficiis simul retinendis, No-  
 „tariis creandis, &c. in quibus nondum  
 „sunt fortitæ effectum.

XV. „Revocat quascunque facultates  
 „& literas, per quas Prædecessores qui-  
 „buscunque Collatoribus (non tamen  
 „Cardinalatûs dignitate fulgentibus)  
 „etiam motu proprio concesserint, ut de  
 „beneficiis generaliter Papæ reservatis  
 „disponere valerent. Hæc tamen Regula,  
 ut notat *Engel. n. 27.* videtur tantum loqui  
 de indultis temporalibus ad vitam alicu-  
 jus, vel ad certum tempus concessis; non  
 verò de indultis perpetuis, quæ concessa  
 sunt certis Capitulis, ut possint ex suo gre-  
 mio eligere personam idoneam ad mayo-  
 rem Dignitatem, post Pontificalem in  
 Cathedralibus aut Principalem in Colle-  
 giatis.

XVII. „Declarat, si duobus à Papa fit  
 „facta gratia de eodem beneficio & sub  
 „data ejusdem diei, quis eorum in data  
 „concurrentium sit præferendus, v. g.  
 „Graduatus non Graduato, Diocesanus  
 „non Diocesano, &c.

XVIII. „Declarat, suæ intentionis  
 „esse, ut deinceps per quascunque gratias  
 „vel

vel literas Apostolicas, etsi motu proprio & ex certa scientia emanaverint, nulli jus sibi quæsitum quomodolibet tollatur.

XIX. Quæ est celebris, & cujus usus est hodie frequentissimus, dicta *De Viginti*, in qua decernit: „ Quòd si quis in infirmitate constitutus resignârit aliquod beneficium, in curia vel extra illam, sive simpliciter, sive ex causa permutationis, vel aliàs dimiserit, aut illius Comendæ cesserit, sive ipsius beneficii unionis dissolutioni consenserit, etiam vigore supplicationis, dum esset sanus, signatæ, & postea infra 20 dies à die per ipsum resignantem præstandi consensus (putà magni seu extensi in Camera vel Cancellaria Apostolica per se vel Procuratorem, addito juramento, quòd omnia sine fraude acta sint, quia ante nunc non est resignatio perfecta, sed res adhuc integra & locus pœnitentiæ),, computandos, de ipsa infirmitate decesserit, & ipsum beneficium quâvis auctoritate conferatur, Collatio hujusmodi sit nulla, ipsiûmque beneficium nihilominus per obitum censeatur vacare, scilicet fictione juris, quæ pro veritate habetur. Ratio Regulæ est, ut excludantur resignationes ab infirmis factæ ad favorem in fraudem

ordinariorum Collatorum, & aboleantur  
 successiones quasi hæreditariæ in benefi-  
 ciis; habetque locum, estò resignans ex-  
 tra omne periculum mortis constitutus,  
 dein quovis modo sive ex vulnere, sive  
 alio modo violento vel casuali intra vi-  
 ginti dies moriatur juxta stylum Curia  
 estò in Theoria contrarium probabiliter  
 sustineatur; quanquam non extendatur  
 ad mortem civilem, v. g. quia resignans  
 ducit uxorem intra viginti dies, profiteretur  
 in Religione &c. Insuper obligat extra  
 Curiam, v. g. si quis resignet beneficium  
 coram Ordinario, quia ubique hæc Regula  
 obligant, quæ institutæ sunt ad obvian-  
 dum fraudibus & aliis inconvenientiis  
 universalibus, ut notat *Leur. Q. 337. Vide  
 Engel. h. t.* Verùm cum Sede Apostolica  
 vacante expiret hæc Regula, si tunc quis  
 resignet simpliciter coram Ordinario,  
 & moriatur intra viginti dies, resignatio  
 subsisteret. Vide *L. J. T. 3. n. 11.*

XXI. „ Si quis supplicaverit sibi de be-  
 „ neficio tanquam per obitum alicujus  
 „ viventis tunc vacante provideri, licet  
 „ postea per obitum ejus vacet, provisio  
 „ & quævis dispositio desuper faciendæ  
 „ nullius sint roboris.

XXVI. „ Decernit irritas quascunque  
 „ provisiones seu dispositiones circa be-

neficia à promovendis ad Prælaturas re-  
 signata vel dimissa inter tempus vaca-  
 tionis Prælaturæ & promotionis, per  
 quam aliàs eadem forent Sedi Apostoli-  
 cæ reservata. *An hæc Regula locum ha-  
 beat in Germania ob Concordata, v. g. an  
 valeat Resignatio Dignitatis vel Canonica-  
 tûs facta à promovendis, vel electis ante  
 confirmationem, nec ne?* Disputant Cano-  
 nistæ teste Engel b. t. n. 37. Pro negativa  
 affertur Decilio Rotalis in una Paderborn.  
*Prepositura.*

XXVII. „Cum ante confectionem  
 literarum Gratia Apostolica sit informis,  
 statuit non juxta supplicationum signa-  
 tarum, sed juxta literarum desuper con-  
 fectarum tenores & formas semper ju-  
 dicandum.

XXIX. „Pontifex cupiens litium suc-  
 cingere anfractus, & ne novi collitigan-  
 tibus adversarii dentur, providere, or-  
 dinat, ut quoties deinceps super quovis  
 beneficio collitigantem in jus alterius  
 cedentis vel decedentis (dummodo non  
 sit intrusus, nec contra adversarium post  
 triennem pacificam possessionem mo-  
 verit litem) surrogari concesserit, aliis  
 de præmissis jure factæ concessiones  
 etiam motu propriæ, infra mensem ante  
 subrogationem hujusmodi collitigantis

nullius sint roboris. Circa hanc vide *Lac.*  
*L. 4. n. 534. & seq.*

XXX. *De verosimili notitia:* „ Omnes  
 „ gratias de quibusvis beneficiis per obi-  
 „ tum vacantibus factas decernit irritas,  
 „ nisi post obitum & ante Datam gratia-  
 „ rum hujusmodi intercesserit tantum  
 „ temporis, quo vacationes de locis obi-  
 „ tûs ad notitiam Papæ verisimiliter po-  
 „ tuerint pervenire.

XXXV. *De annali Possessore* statuit,  
 „ quòd quicumque beneficium per annum  
 „ ab alio pacificè possessum deinceps im-  
 „ petrauerit, specificam causam (ex qua  
 „ clarè constet, nullum dicto possessori  
 „ jus competere) exprimere, & infra sex  
 „ menses eundem ad iudicium evocari fa-  
 „ cere, causamque ex tunc infra annum  
 „ usque ad Sententiam Definitivam in-  
 „ clusivè prosequi teneatur; alioquin im-  
 „ petratio & quæcunque inde secuta nul-  
 „ lius sint roboris, & impetrans de damnis  
 „ propterea contingentibus possessori sa-  
 „ tisfaciat.

XXXVI. *De Triennali* statuit, quòd  
 „ absque simoniaco ingressu obtinens be-  
 „ neficia, Apostolicâ vel ordinariâ colla-  
 „ tione, si per triennium pacificè posse-  
 „ derit, (dummodo in beneficiis hujus-  
 „ modi, si dispositioni Apostolicæ ex ali-  
 „ qua

qua ratione generali in Corpore Juris  
 clausa reservata fuerint, se non intruse-  
 rint) super iisdem beneficiis taliter pos-  
 sessis nequeant molestari, ac impetra-  
 tiones quaslibet de iis sic possessis factas  
 decernit irritas & inanes, antiquas lites  
 super illis motas penitus extinguendo.

Hinc *Regula De Annali* relinquit impe-  
 tranti potestatem molestandi possessionem;  
 hæc autem tollit, possessorem  
 Triennem defendens in possessorio, non  
 autem in petitorio seu quoad Titulum  
 verum, ut ait *Wagn. ad hanc Reg.* Pos-  
 sessio autem decennalis generat præsum-  
 ptionem Tituli seu Canonici ingressus.

Vide *Lac. n. 715.*

XLII. „Decernit, quòd super bene-  
 ficio Patronatus laicorum non expe-  
 dianur literæ, nisi ponatur expressè,  
 illud tam diu vacasse, ut fuerit ad Sedem  
 Apostolicam legitime devolutum; aut  
 ad id Patronorum ipsorum accedat as-  
 sensus. Si per ipsum Papam Juri Patro-  
 natûs hujusmodi derogari contigerit,  
 illius mentio dispositivè ac specificè fiat,  
 aliàs non censeatur quomodolibet de-  
 rogatum.

L. „Vult, ut in dispensationibus su-  
 per defectu natalium, quòd possint suc-  
 cedere in bonis paternis, ponatur clau-

„sula: *Non præjudicetur aliis*, ad quos  
 „successio bonorum ab intestato pertine-  
 „re debeat, solétque addi alia clausula:  
*Citra bona Emphyteutica & Feudalia Ec-  
 clesiastica. An autem hæc Regula solum ca-  
 vere velit præjudicium legitimorum filio-  
 rum, vel etiam aliorum propinquorum  
 succedentium ab intestato, si adsint?* Dispu-  
 tant DD. teste Wagn. ad hanc Regulam.

LIII. „Vult, ut in literis Indulgentia-  
 „rum ponatur: *Quòd si Ecclesiæ vel Ca-  
 „pellæ, aut aliàs aliqua Indulgentia fuerit  
 „concessa, de qua inibi specialis mentio  
 „facta non sit, hujusmodi literæ sint nullæ.*  
 Id statuitur ad nimiam Indulgentiarum  
 multiplicationem impediendam.

LVII. Statuit, ut super Beneficiis Ec-  
 „clesiasticis fiat mentio de qualitatibus  
 „illorum, videl. an Dignitates, vel Per-  
 „sonatus, vel Officia sint; item an curata,  
 „vel electiva; aliàs gratiæ desuper factæ  
 „sint nullæ; quæ qualitates, si non ex-  
 „primantur, negativa desuper expressè  
 „fiat, videl. quòd non sit Dignitas, Cu-  
 ratum &c.

LXII. „Petenti sibi provideri de va-  
 „cature dentur literæ de vacante, prout  
 „expediêrit impetranti. Hinc si quis im-  
 petret beneficium proximè vacaturum  
 per matrimonium beneficiati, aut per

promotionem ad Prælaturam, ponitur in literis: *Providemus tibi de beneficio per talem modum vacaturo, vel jam vacante.* De vacaturo per obitum, quia est periculum voti captandæ mortis alienæ, provi- sio non datur.

LXVII. „Pontifex suæ dispositioni reservat omnia beneficia, quæ Sede Apost. vacante vacârunt, si Sedi Apo- stolicæ quomodolibet reservari sint so- lita, & de iis per Collatores ordinarios ante diem assumptionis novi Pontificis non sit dispositum, decernens irritum, si quid secus attentatum fuerit. Unde *Wagn.* monet ordinarios Collatores, ut be- neficia Sede Apostolicâ vacante vacantia, & jure communi ad suam collationem spectantia maturè conferant, ne per publi- cationem Regularum jure suo cadant.

Pro fine Nota ex *Reiff. h. t. n. 540.* Per Concordata Germaniæ non derogari ex toto Regulis Cancellariæ; nam Regulas: *De Viginti, De verisimili Notitia, De An- nali aut Triennali Possessore, &c.* etiam in Germania locum habere indubitati juris est; sed per ea solùm derogari his regulis, quoad ea, quæ circa reservationem bene- ficiarum, Annatas Sedi Apostolicæ per- solvendas, &c. specialiter contra eas di- sponunt juxta mox dicenda.

## APPENDIX SECUNDA.

*De Concordatis Germania.*

1. **H**æc inchoata sunt anno 1446. missis ab EUGENIO IV. Francofurtum Legatis, ac inter ipsos ex una, & Rom. Imp. FRIDERICUM III. aliósque Imperii Principes, tum Ecclesiasticos, tum sæculares, ex altera partibus ad sopiendas lites & contentiones circa provisiones beneficiorum inita; quæ Anno 1448. à NICOLAO V. confirmata per Bullam: *Ad Sacram Petri Sedem*, in Paragraphos distributam, à *Reiff. h.t. n. 535. & Lac. L. 4. n. 503.* verbotenus relatam, in qua Pontifex asserit, ea esse rationabilia & salubria tam Ecclesiæ, quàm Nationi Germanicæ. Contenta illius brevibus hîc explicantur.

2. I. §. 3. „Pontifex sibi reservat beneficia reservata in Extravagantibus: *Execrabilis & Ad Regimen*, de quibus *sup.* sed cum restrictionibus; nam in Concordatis non reservantur beneficia vacantia per Muneris Consecrationis susceptionem, nec vacantia per obitum Officialium Sedis Apostolicæ, (quorum numerus hîc etiam restringitur) si officia sua ante obitum dimiserint, quia Concordata expressè dicunt, ea tam diu esse reservata,  
„quàm

quàm diu ipsa officia *actualiter* NB. tenebunt. Vide *Lac. n. 512.*

3. II. §. 4. „Concedit Pontifex, ut in Metropolitanis & Cathedralibus Germaniæ Ecclesiis etiam immediate Pontifici non subjectis, & in Monasteriis immediate illi subjectis fiant electiones Canonice, quæ intra tempus per Cap. 16. *Cu-pientes De Elect. in 6.* præfinitum Romam deferantur, si non fuerint Pontifici præsentatæ, vel si præsentatæ minus Canonice fuerint, ipse providebit; si fuerint Canonice, dictas electiones confirmabit, nisi ex evidenti causa de ulteriore persona duxerit providendum. Hæc est insignis prærogativa Germaniæ; quia cum jus eligendi in Italia, Hispania, Gallia, Lusitania, Polonia aliisque Regnis per reservationes Pontificum & nominationes Regum seu Principum Capitulis sit ademptum, istud tamen in Germania iis sit præservatum. Unde notant DD. Famofum Titulum De Electione in *L. 1. Decret.* exiguum habere usum extra Germaniam. Verùm si Episcopus promoveatur ad Cardinalatum, Episcopatus per obitum vacans est reservatus; item, si auctoritate Apost. transferatur ad aliam Ecclesiam, vel resignet Episcopatum in manus Papæ, aut eo à Pontifice privetur, aut moriatur

in Curia, juxta Cap. *Ad Regimen Sedi*  
Apost. manet reservatus, cui quoad hoc  
per Concordata non est derogatum, ut  
rectè *Pirrh. b. t. n. 360.* Hinc ante accepta-  
tionem Cardinalatûs vel alterius Episco-  
patûs solet supplicari pro indulto speciali  
ad conservandum jus electionis penes  
Capitulum.

4. III. §. 5. „Reservat sibi Pontifex Ma-  
„jores Dignitates post Pontificalem in  
„Cathedralibus, & Principalem in Col-  
„legiatis Ecclesiis; quales sunt Præposi-  
turæ (ubi sunt, ex generali consuetudine  
Germaniæ, ut dixit *Rota*, teste *Nicollis*  
*litt. P. n. 94.*) vel Decanatus. Verùm variae  
per speciale privilegium exemptæ sunt,  
ut Augustana ex indulto ALEXANDRI VI.  
Monasteriensis ex indulto PAULI V. 1618.  
Leodiensis &c. in quibus electio Præpositi  
est penes Capitulum.

5. Addit Pontifex in *cit.* §. „De cæteris  
„verò Dignitatibus & beneficiis quibus-  
„cunque sæcularibus & Regularibus va-  
„caturis ultra Reservationes prædictas  
„(videl. in Extravagantibus *Execrabili*  
„& *Ad Regimen* contentas) placet Nobis,  
„quòd per quamcunque aliam reservatio-  
„nem, Gratiam expectativam aut quam-  
„vis aliam dispositionem sub quacunque  
„verborum forma per Nos vel auctori-

„tate Noſtrâ factam vel faciendam non  
 „impedimus, quominus de illis, cum va-  
 „cabunt Februarii, Aprilis, aliisque alter-  
 „nis menſibus, liberè diſponatur per illos,  
 „ad quos eorum collatio, proviſio, præ-  
 „ſentatio, electio ſeu quævis alia diſpoſitio  
 „jure ordinario pertinebat, reſervatione  
 „aliâve quavis diſpoſitione, auctoritate  
 „Noſtrâ factis vel faciendis, non obſtanti-  
 „bus quibuſcûnque. Unde beneficia re-  
 „ſervata Sedi Apoſt. per Bullas poſteriores,  
 „v. g. vacantia propter hæreſin, propter  
 „ſimoniam confidentialem, propter non  
 „publicatam reſignationem, propter non  
 „ſervatam formam Tridentini in collatio-  
 „ne Parochiæ &c. Si quis iis non privetur  
 „auctoritate Apoſt. ſed Ordinarii, *an ſint*  
 „*Papæ reſervata in Germania, in quocûnque*  
 „*demum menſe ſic vacent.* Negat Engel h. t.  
 „n. 18. contra Branden &c. cenſentes ea  
 „hoc ipſo affecta ſeu reſervata Papæ, quòd  
 „vacent ipſo jure, quibus videtur favere  
 „ſtylus Curiæ. Item ſi promotus ad Epifco-  
 „patum beneficia præhabita retineat per  
 „diſpenſationem Apoſt. ac decedat in his  
 „menſibus, *an tunc eorum Collatio pertineat*  
 „*ad Ordinarios?* Engel. n. 16. Caſtopalao  
 „&c. affirmant. Aſt negativa docens, ea  
 „manere affecta, ut etiam non aliter quàm  
 „apud Papam reſignari poſſint, eſt fun-  
 data

data

data in stylo & praxi Curiaë Rom. teste  
*Lac. n. 508.*

6. ,, Præterea §. *cit.* Pontifex dispositio-  
 ,, ni Sedis Apost. specialiter reservat om-  
 ,, nia beneficia cum cura vel sine cura va-  
 ,, cantia in Januario, Martio & cæteris  
 ,, alternis mensibus, v. g. per obitum: Imò  
 nonnulli apud *Lac. n. 150.* putant omnia  
 beneficia in mensibus Papæ vacantia per  
 affecutionem alterius incompatibilis ma-  
 trimonium, Professionem Religiosam, &c.  
 esse reservata Papæ per Concordata. Sub  
 hac tamen reservatione non comprehen-  
 duntur Beneficia Jurispatronatûs laicalis,  
 aut etiam mixti, quod Laico simul & Ec-  
 clesiastico competit; neque manualia, ne-  
 que accessoriè unita alteri, v. g. Vicariæ  
 perpetuæ; neque beneficia Ecclesiæ non  
 numeratæ, de qua infra *Tit. 8. n. 4.* neque  
 vacantia per resignationem apud Ordina-  
 rium, estò hæc fiat in mense Pontificio,  
 quia Papa in Reg. Cancellariæ sibi non re-  
 servat vacantia in suis mensibus extra Cu-  
 riam per resignationem, ut notat *Lac.*  
*n. 511.* neque Præbendæ Canonessarum,  
 quia non sunt beneficia Ecclesiastica, &c.  
 Econtra per Concordata reservantur be-  
 neficia monocularia, item Officia Eccle-  
 siastica, quæ in titulum dantur, quia be-  
 neficiis æquiparantur; aut quæ post Con-  
 cor-

APPENDIX SECUNDA. DE CONCORDAT. GERM. 365  
cordatorum datam erecta & fundata,  
quantumvis collatio eorum, in quocun-  
que mense vacaverint, sit ex fundatione  
Ordinariis reservata, (de quo tamen vide  
*Lacroix n. 515.*) ut tradit *Nicolarts Tit. 1.*  
*dub. 2. 3. & 4.* addens *dub. 5.* occurrente  
in mensibus Apost. vacatione beneficio-  
rum curatorum juxta Constit. Pii V. *In*  
*conferendis*, Ordinarius proponit Edi-  
ctum pro concursu intra 10 dies, & intra  
4 mensium spatium à die vacationis mit-  
tit Romam approbationem, factam ab  
Examinatoribus Synodalibus de magis  
idoneo & à se electo, pro collatione obti-  
nenda. *An autem, si Sede Apost. vacante*  
*contingat vacare beneficium in mense Pon-*  
*tificio, possit Ordinarius Collator illud con-*  
*ferre in Germania, uti potest extra eam?*  
Affirmativam in Theoria defendi posse,  
ait *Engel n. 49.* eò quòd conditio Ordina-  
riorum in Germania per Concordata,  
quæ veluti favorabilia in eorum favorem  
sunt interpretanda, non sit facta durior  
præ aliis nationibus. Communior negat,  
eò quòd Concordata utpotè perpetua  
cum Papa non moriantur, uti Regulæ  
Cancellariæ; & pro hac facit praxis &  
stylus Curiae.

7. Denique §. *cit.* additur: „Si tamen  
„vacante Beneficio in mensibus speciali-

„ ter

366 LIBER III. TITULUS V.  
„ter dispositioni dictæ Sedis reservatis  
„non apparuerit intra tres menses à die  
„notæ vacationis in loco beneficii, quod  
„alicui de illo Apostolicâ Auctoritate pro-  
„visum fuerit, ex tunc & non antea Ordi-  
„narius vel alius, ad quem illius disposi-  
„tio pertinebit, de illo liberè disponere  
„poterit. Circa horum intellectum GREG.  
XIII. Bullâ: *Quæ in Ecclesia*, datâ 1576.  
„attendens verba prædicta *in loco bene-*  
„*ficii*, cum verbis *Notæ vacationis*, quæ  
„protinus antecedunt, conjungi, & ad illa  
„duntaxat referri; non autem conjungi  
„cum verbo: *Apparuerit*; declarat, quod  
„Ordinarii aut alii Collatores post lapsum  
„trium mensium ex die notæ vacationis  
„in loco beneficii disponere non possunt  
„de illis beneficiis vacantibus vel vaca-  
„turis in mense Pontificio, de quibus  
„intra dictum tempus trium mensium  
„per Rom. Pontificem ac dictam Sedem  
„qualiscunque gratia vel dispositio aut  
„concessio facta fuerit, estò intra illud  
„tempus non appareat in loco beneficii,  
„cui de illis Romæ sit provisum. Verum  
„quia hæc Constitutio emanavit inconsul-  
„tâ Natione Germanicâ, multas hodie dum  
„patitur contradictiones. Unde curent  
„provisi Apostolici, si ob temporis angu-  
„stiam tam citò Bulla collationis expediri  
„ne-

nequeat, saltem per instrumentum authenticum in forma probante doceant in loco beneficii, sibi de eo gratiam à Papa factam. *An autem illud trimestre Papæ reservatum pro conferendis beneficiis in mense Papali vacantibus, uti currit Sedi Apost. ignoranti vel omittenti conferre, ita quoque currat Sedi vacanti, ut elapso illo trimestri possit Collator ordinarius beneficium sic vacans conferre?* Affirmant *Schmaltzgr. h. t. n. 321. Reiff. n. 565.* dicens, id confirmari consuetudine hæctenus receptâ, & plures alii, quia aliàs, si electio Pontificis in longum protraheretur, tamdiu quoque beneficia vacarent in præjudicium Ecclesiæ. Deinde si collatio intra trimestre à Pontifice facta sit invalida, v. g. ob vitium sub-vel obreptionis, ob inhabilitatem personæ v. g. defectum Nobilitatis, &c. *An tunc tale beneficium à Collatore inferiori licitè & validè conferri possit?* Affirmat *Rebuffus*, testans ita practi- cari in Gallia. Ratio, quia actus invalidus habetur pro infecto ac nullo. Ast sententiam negativam nedum probabilio- rem, sed veram, stylo Curia conformem & in praxi tenendam docet *Reiff. n. 430.* solvens argumenta in oppositum, eò quòd per talem dispositionem etiam invalidam maneat affectum per appositionem ma-

nûs Pontificiæ. Notant hîc etiam DD. Papam elapso trimestri posse adhuc prævenire ordinarium Collatorem; neque per Concordata quoad beneficia vacantia per obitum in Curia esse derogatum *Cap. 3. in 6. b. t. supra n. 9. & Cap. 35. n. 16.* ut ea etiam ante lapsum trimestris conferri possint. Ita Nicolarts, Engel *b. t. n. 52.* & alii citatî à Schmaltzgr. *b. t. n. 323.* Ratio, quia trimestre per Concordata datum solum restringitur ad beneficia Alternativæ obnoxia seu Mense Apost. vacantia, adeoque non extendendum ad vacantia per obitum in Curia, & ideo Papæ reservata. Unde consequens est, non esse necesse, ut collatio beneficii in Curia vacantis, facta à Papa, fiat intra trimestre nota in loco beneficii; nam Concordata expressè dicunt: *Si tamen vacante beneficio in mensibus specialiter dispositioni dictæ Sedis reservatis non apparuerit intra tres menses &c.* Proinde ad beneficia aliter vacantia, v. g. per obitum in Curia, jure devolutionis ad Papam per resignationem &c. non est illa trimestris arctatio extendenda, sed quoad ea servandum jus commune, juxta quod non fit devolutio à Superiore ad inferiorem extra casus à jure specialiter exceptos; neque in eo tempus illud trimestris præscribitur, ut patet in  
aliis

aliis collationibus factis ab inferioribus  
Papâ.

8. IV. §. 6. In Concordatis statuitur,  
quod Annatæ, i. e. pensiones seu certæ  
quantitates pecuniæ, quæ de fructibus  
primi anni à Neo - Electo Episcopo vel  
Prelato exempto Camera Apostolicæ  
pro necessitatibus Ecclesiæ solvuntur,  
solvantur hoc modo: „De Ecclesiis Ca-  
thedralibus omnibus & Monasteriis vi-  
rorum duntaxat vacantibus & vacatu-  
ris solvantur de fructibus primi anni  
à die vacationis summæ pecuniarum  
taxatæ in libris Camera Apostolicæ; ac  
si quæ excessivæ taxatæ sint, retaxentur;  
Taxæ autem prædictæ pro media parte  
infra annum à die habitæ possessionis pa-  
cificæ solvantur, & pro alia media parte  
infra annum sequentem; item si infra  
annum bis vel pluries vacaverit, semel  
tantum solvantur, nec debitum hujus-  
modi in successorem in Ecclesia vel Mo-  
nasterio transeat. De Beneficiis, quæ  
valorem 24 florenorum auri de Camera  
non excedunt, nihil solvatur. Unde quia  
hodie ex generali consuetudine & stylo  
Curia Rom. omnes Canonici Germani-  
æ æstimantur non nisi ad valorem 24  
ducatum, licet verus Reddituum valor  
ad 1000 ducatos ascendat, ex illis Annatæ

non solvuntur, sed solum, quod pertinet ad Bullæ expeditionem. De certis tamen beneficiis unitis aut Dignitatibus ex speciali privilegio à reservatione exemptis, v.g. Præpositura Augustana &c. Camera Apostolicæ solvuntur *Quindenaria*, i. e. media pars fructuum unius anni singulis 15 annis.

9. Pro fine observa ex *Reiffenst. n. 545* si quis bonâ fide & ex ignorantia obtinisset beneficium Papæ reservatum contra Concordata, eum cognito errore tenetur à Papa petere novam provisionem, quia reverà censetur intrusus, carètque omni titulo, ac fructus ex tali beneficio perceptos in utroque foro restituere obligatur, ut patet ex Bulla CLEM. VIII. *Admonitio Nos*, data 1534. quia illa, uti & Concordata, continent Decretum irritans, quod inficit tum titulum, tum possessionem, adeoque velut intrusus nunquam juvatur beneficio *Reg. de Triennali*. Nihilominus Engel *b.t. n. 54*. censet, iis non obstantibus per consuetudinem vel præscriptionem longissimi vel immemorialis temporis (quam docet esse contra Concordata admittendam) posse aliquem esse tutum in conscientia, licet ob stylum Curiae pro foro externo fortè per sententiam veniret privandus.

## APPENDIX TERTIA.

*De Precibus primariis Imperatoris.*

**P**RECES PRIMARIÆ sunt Indultum Apostolicum, quo Romanorum Imperatori Neo-Electo ob egregia Imperatorum in Ecclesiam merita conceditur facultas nominandi personas idoneas ad certa beneficia juxta modum expressum in Bulla PAULI V. *Cum post*, data ad FERDINANDUM III. 1620. in Paragraphos distributam, & à *Chokier*, Canonico Leodiensi, Commentariis illustratam; estque hoc Indultum antiquissimum, cum extiterit ante tempora RUDOLPHI primi Habsburgici, electi 1273. Dicuntur autem *Preces primariæ*, quia non conferunt jus conferendi, sed nominandi seu rogandi Collatores, ut beneficia à se nominatis conferant, & veluti *Armatæ* præferuntur cujusvis alterius provisioni. Hoc Indultum juxta ordinem Paragraphorum cit. Bullæ hinc summarie explicabitur.

2. I. §. I. „Cum post factam de persona FERDINANDI electionem & à Pontifice confirmatam &c. Quo non obstante docent Canonistæ, Imperatorem electum etiam ante confirmationem Papæ posse uti hoc Indulto, saltem ex consuetudine

aut præsumpta mente Pontificis, vel sub spe futuræ ratihabitionis, quia FERDINANDUS IV. Augustæ electus absque mora preces primarias contulit nemine improbante; ejusque Successores LEOPOLDUS I. & JOSEPHUS I. sine obtento Indulto usi sunt jure precum, teste *Schmalzgr. n. 339.* addens tamen *n. seq.* CLEM. XI. præcepisse Capitulo Hildesiensi, ut ad Canonicatum in mense Papali vacantem reciperent à se provisum, repulso Precistâ tanquam intruso, eò quòd JOSEPHUS I. indultum à Papa non petièrit, nec habuerit. Vide Bullarium CLEM. XI. *Declar. 45. Cùm sicut.*

3. II. §. 2. „Conceditur S. M. facultas  
 „nominandi personam idoneam in sin-  
 „gulis Cathedralibus, Metropolitanis  
 „Collegiatis vel quibusvis aliis Ecclesiis  
 „per totum Imperium, prout nunc est, ad  
 „Dignitates, Personatus, Officia etiam  
 „electiva & quævis beneficia Ecclesiasti-  
 „ca vacatura, sive sint curata, sive non,  
 „sive sæcularia, sive Regularia, ut Colla-  
 „tores vel Collatrices personam sic no-  
 „minatam post Preces porrectas recipere  
 „& admittere teneantur; quanquam, ut  
 ait *Wagn. hoc loco*, Cæsares, ne turbent  
 Disciplinam Regularem, dispositionem  
 beneficiorum Regularium relinquunt  
 Prælati Ordinum.

4. Hæc tamen facultas in *cit.* §. limita-  
 tur 1. „ Dummodo Dignitates in Cathe-  
 dralibus & Metropolitanis post Pontifi-  
 calem Majores aut in Collegiatis Princi-  
 pales non existant. 2. Dummodo singulæ  
 Collationes & singulæ Ecclesiæ ex hoc  
 ultra quàm in uno beneficio non gra-  
 ventur. 3. Dummodo ipsi Collatores vel  
 Collatrices saltem quatuor beneficia in  
 Imperio conferre habeant. Unde si tria  
 habeant in Imperio & quartum extra illud,  
 Preces locum non habent. Econtra si Ca-  
 nonicus ratione Dignitatis, v.g. Præposi-  
 turæ, Archidiaconatûs, &c. habeat confer-  
 re quatuor beneficia, potest unum per Pre-  
 ces directas, non ad Capitulum, quia ea  
 tunc non confert vice Capituli uti Turna-  
 rius, sed ad ipsum Canonicum obtineri. Ita  
*Pirr. II. 379.* 4. „ Si Cæsar pro eadem perso-  
 na ad plures Collatores simul vel succes-  
 sive Preces dirigat, quamprimùm tamen  
 persona sic nominata de aliquo benefi-  
 cio provisã fuerit, ejus nominatio quoad  
 alios Collatores facta ipso jure expiret.  
 Nihilominus post primæ gratiæ consum-  
 ptionem potest Imperator eidem Precistæ  
 concedere novas Preces ad aliam Eccle-  
 siam. 5. „ Quòd Canonicatus, Dignitas,  
 Personatus vel Officium in una Ecclesia  
 pro unico duntaxat beneficio computari

debeat. Unde Cæsar nequit unam personam in eadem Ecclesia nominare pro Canonatu, aliam pro Dignitate vel officio. Notant hic etiam DD. si preces alicui concessæ non sint sortitæ effectum, v. g. ob Precistæ mortem, tacitam vel expressam renuntiationem &c. posse Cæsarem alium nominare; imò re integrâ potest Cæsar variare nominando alium, vel private, vel cumulative, quo casu Preces sunt regulandæ secundum similes casus in literis Pontificis evenientes. Ita Wagn. *hoc loco.*

5. III. §. 3. „Statuitur, ut Executores  
 „Precum habeant qualitates requisitas ad  
 „Executores Literarum Apostolicarum,  
 „juxta C. Statutum II. de Rescript. in 6. (de  
 „quo L. J. T. 3. n. 12.) „qui possint persona  
 „nominatæ beneficia vacantia per se vel  
 „per alium conferre & assignare. Unde  
 „censet Wagn. Collationem spectare ad  
 „Executores; ordinariis autem Collatori-  
 „bus competere nudum receptionis & in-  
 „stallationis seu inductionis in possessio-  
 „nem ministerium. Econtra Engel, Pirri  
 „&c. docent, Collationem spectare ad or-  
 „dinarios Collatores, quia ad eos Imp-  
 „rator preces dirigit, quos possunt Exe-  
 „cutores ad hoc compellere, iisque renuen-  
 „tibus conferre.

6. Præterea in *cit.* §. varia statuuntur,  
 nempe quòd Precista infra mensem,  
 postquam vacatio beneficii ipsi innotuit,  
 per se vel Procuratorem speciale man-  
 datum habentem debeat illud acceptare,  
 si duxerit acceptandum. Unde elapso  
 mense (si re integrâ Precista non accepta-  
 verit) potest collator ordinarius benefi-  
 cium vacans alteri liberè conferre, ut col-  
 latio sit valida; nisi Precista alleget justam  
 ignorantiaë causam aut impedimentum  
 legitimum, v. g. sui vel Procuratoris ab-  
 sentiam. Quia autem in Indulto habetur:  
*si duxerit acceptandum*, censent DD. Pre-  
 cistam, si negligat acceptare primum be-  
 neficium vacans, posse petere secundum;  
 si nec illud velit, tertium, & sic deinceps.  
 Hinc Precistam non ligat *Cap. ii. h. t. in 6.*  
 ubi dicitur: Si Clericus ex mandato Apo-  
 stolico de Præbenda proximè vacatura  
 providendus eam neglexit, aliam vaca-  
 turam prætextu dicti Mandati non potest  
 petere, cum facta ei gratia per negligenti-  
 am ejus sit extincta. De quo tamen vide  
 infra *Tit. 19. n. 5.*

7. Dein §. *cit.* Pontifex extendit Indul-  
 tum Precum. 1. Ad quævis beneficia va-  
 cantia in quibusvis mensibus, etiam or-  
 dinariis collatoribus concessis; per quod  
 derogatur concordatis Germaniæ. 2. Ad

„ quævis beneficia Sedi Apostolicæ refer-  
 „ vata aliter, quàm per *Extravagantem*.  
 „ *Ad Regimen* &c. v. g. Officialium, aut  
 „ decedentium in Curia &c. quæ Papa, ut  
 „ & illa, quæ ad Sedem Apostolicam fue-  
 „ rint devoluta, sibi reservat. 3. Ad benefi-  
 „ cia in eadem Ecclesia, in qua Precista  
 „ jam aliud obtinent. 4. Ad prædicta bene-  
 „ ficia, licet Precista coram Cæsare vel Col-  
 „ latore non fecerit mentionem beneficii  
 „ præhabiti vel præhabitorum, (uti hæc  
 „ fieri debet coram Papa) cujuscunque sim-  
 „ plicitatis & valoris annui ad sustentatio-  
 „ nem sufficientia, quæ estò sint tria vel plu-  
 „ ra, sine dispensatione cum acceptato reti-  
 „ nere potest, si cum eo in eadem vel diversis  
 „ Ecclesiis sint compatiblea, quamvis alias  
 „ de jure non possit quis habere plura quàm  
 „ duo; si autem unum vel plura sint cum  
 „ acceptato incompatiblea, ea dimittere  
 „ tenetur. 5. „ Ad ea beneficia, estò Pre-  
 „ cista non habeat qualitates secundum  
 „ statuta aut consuetudinem Ecclesiæ re-  
 „ quisitas. Hinc Nobilis Ecclesia Precistam  
 „ à FERDINANDO II. nominatum, sed caren-  
 „ tem Nobilitate, ex consuetudine aut statu-  
 „ to requisita, vigore hujus Indulti coacta  
 „ est recipere. Si tamen Precista careat qua-  
 „ litatibus à jure communi requisitis, v. g.  
 „ primâ tonsurâ, ætate &c. requiritur, ut eas

habeat, vel legitime cum ipso sit dispensatum, non tempore obtentionis precum, sed tempore acceptationis Præbendæ vacantis.

8. Econtra Preces se non extendunt 1. Ad beneficia, super quibus lis aliqua pendet indecisa. 2. Ad beneficia unita aut Jurispatronatûs laici vel mixti. 3. Ad vacantia permutationis gratiâ; quod tamen *Chok.* apud *Leur. q. 608. n. 9.* limitat, nisi permutatio fieret in fraudem, v. g. si morti vicinus vel senex permutet pingue cum tenui, ut sic Precista impediatur à consecutione pinguioris, quam fraudem regulariter semper præsumi, docent *Paris.* & alii apud *Leur. P. 1. Q. 24.* vide eundem *P. 3. Q. 416. n. 3.* *Pirrh. L. 3. Tit. 19. n. 36.* 4. Ad vacantia per Resignationem coram Papa, sive liberam, (secus est de vacante per Resignationem simplicem in manibus Ordinarii) sive in favorem, quia tunc resignans non intendit jus à se abdicare, nisi beneficium acquiratur resignatario. Verùm, ut docet *Pirrh. L. 1. Tit. 9. n. 121.* si senex vel graviter infirmus, aut intendens proximè celebrare Nuptias, vel Religionem profiteri resignet in favorem coram Papa Præbendam in fraudem Precistæ, ut is à consecutione illius excludatur & cogatur novam vacationem expectare, conformiter *Cap. 2.*

*De Renunt. in 6.* potest Precista illam veluti sibi debitam petere & obtinere, dummodo per probabiles & sufficientes conjecturas probari possit, Resignationem illam in fraudem seu odium Precistæ factam esse, quia tunc ratione fraudis Præbenda fictione Juris censetur simpliciter vacare, estque Precistæ conferenda, quia fraus alterius nulli debet esse nociva, neque debet quis alterius odio prægravari. Ita *Pirrh. loc. cit.* Ideo novissimè vidimus, Precistam per mandatum Cæsareum esse inductum in possessionem Præbendæ Cathedralis, exclusò Resignatoriò, qui eam à Papa obtinuerat per Resignationem Canonici intuitu instantis à se contrahendi matrimonii factam; neque enim Pontifex fraudibus favere seu patrocinari intendit; hinc juxta *Reg. Cancellaria XIX.* Resignationem in favorem, coram se factam à Decedente infra viginti dies, ad obviandum fraudibus in præjudicium ordinariorum Collatorum declarat esse nullam; Resignationem autem esse factam in fraudem expectantis meritò præsumitur, si resignans, quamvis sua Resignatio conditionalis non admitteretur, absque eo jus & titulum Præbendæ à se abdicasset; secus, si eam non admittens beneficium non desereret. Vide *infra Tit. 19. n. 5.* 5. Ad Præbendas Ca-

nonessarum juxta *Lac. n. 571.* quia nec ipse Papa habet jus de eis disponendi, adeoque illud in Cæsarem transferre nequit. Unde si Cæsar dirigat preces ad Capitula Canonessarum, id non facit vi Indulti Pontificii, sed vi Juris Majestatici, uti ob jus Superioritatis Territorialis preces ad illa Capitula ex jure consuetudinario sibi vendicant nonnulli Principes tum Ecclesiastici, tum sæculares.

9. IV. §. 4. „Ponuntur clausulæ derogatoriæ omnium, quæ huic Indulto obstare possent. Unde derogat 1. Constitutionibus Apostolicis & Tridentino *sess. 24. de Ref. c. 19.* de non utendo expectativis ad beneficia vacatura, aut non admittendo plura compatiblea quàm duo absque dispensatione Papæ. 2. Regulis Cancellariæ & Concordatis Germaniæ, quatenus huic Indulto adversantur. 3. Statutis & consuetudinibus Ecclesiarum particularibus, etiam juratis & à Sede Apost. confirmatis &c. Denique decernitur: „ Quid „ quid contra Indultum quacunque auctoritate attentatum fuerit, irritum sit „ & inane.

10. Ex his infertur, non posse præscribi contra Indultum Precum, quia in facultativis, seu contra Privilegium consistens involuntate utendi non præscribitur; neque

que datam & à Precista acceptatam gratiam nominationis expirare per mortem Imperatoris, *tum* quia gratiam Principis decet esse mansuram; *tum* quia dato, quod preces se habeant instar mandati ad Colatores, (quod re integrâ expirat morte mandantis) tamen post acceptationem res non censetur esse integra, quia aliquid cœptum fuit, licet necdum consummatum. Ita *Leur. q. 615.* cum aliis.

## TITULUS VI.

*De Clerico egrotante vel debilitato.*

**I. I.** In *Decret. h. t.* decernitur *C. 1.* „ Cleri-  
 „ cum non debere propter agritudi-  
 „ nem suam impediri, quominus, quæ con-  
 „ sueta sunt, quæque ei, si sanus esset, pote-  
 „ rant ministrari, ab Ecclesia ei præbean-  
 „ tur. Unde non solum fructus beneficii,  
 „ sed etiam Distributiones quotidianæ ei de-  
 „ bentur. *C. 2.* „ Presbyter, cujus duo digiti  
 „ cum medietate palmæ abscissi sunt, Mis-  
 „ sam celebrare non permittitur; cæteris  
 „ autem Sacerdotalibus Officiis fungi mi-  
 „ nime prohibetur. Hinc potest baptiza-  
 „ re, absolvere &c.

2. *C. 3. 4. & 5.* „ Rectores Ecclesiarum, et si  
 „ Episcopi, si ob morbum nequeant offi-  
 „ cium suum exercere, ad cessionem com-  
 „ pelli

„ pelli non debent, nec afflicto afflictio est  
 „ addenda; sed iis dandus est Coadjutor,  
 „ qui curam habeat animarum, & de Ec-  
 „ clesia congruam portionem accipiat, ita  
 „ tamen, ut morbo laborantibus necessaria  
 „ iuxta facultates Ecclesiæ, quamdiu vixe-  
 „ rint, ministrentur. Unde si Redditus be-  
 „ neficii non sufficiant Coadjuto & Coadju-  
 „ tori, huic providendum est vel à Parochia-  
 „ nis; vel si hi non possint, aut beneficium sit  
 „ simplex tenue habens annexam obligatio-  
 „ nem, v.g. legendi Missas, assistendi in cho-  
 „ ro &c. per alium adimplendam, ab Episco-  
 „ po per collationem alterius beneficii vel  
 „ pensionis ex alio beneficio assignationem  
 „ ei provideatur. Ita *Engel b. t. n. 3.* ubi etiam  
 „ n. 5. resolvit, Coadjutori Dignitatis v. g.  
 „ Episcopalis vel Decanalis competere in  
 „ Ecclesia vel Capitulo locum competentem  
 „ Principali, cujus personam repræsentat;  
 „ Coadjutori verò Canonici ratione Præ-  
 „ bendæ competere ultimum locum post  
 „ omnes Canonicos in persona præsentis,  
 „ quia magis fulgere censeatur, qui propriis,  
 „ quam qui alienis radiis. Hinc etiam Legati  
 „ aliorum Principum cedunt Principibus  
 „ ejusdem ordinis in persona præsentibus.

„ 3. II. *In 6. c. un. b. t.* declarat Pontifex,  
 „ Concessionem Coadjutorum, qui dan-  
 „ tur Episcopis, numerandam esse inter

„ CAU-

„ causas majores, ideóque ad Sedem Apo-  
 „ stolicam esse referendam, ac ab ea tan-  
 „ tùm postulandam. Ne verò ea ex re  
 „ Ecclesiæ, præsertim ab Urbe remotæ,  
 „ dispendium patiantur, sancitur, ut Epi-  
 „ scopus senio, infirmitate vel aliter ab  
 „ officii sui exercitio perpetuò impeditus  
 „ valeat cum consilio & assensu sui Capi-  
 „ tuli unum vel duos Coadjutores auctori-  
 „ tate Apostolicâ sibi assumere; si id no-  
 „ luerit, hac de re à Capitulo monitus, ni-  
 „ hil Capitulum innovet, sed statum Ec-  
 „ clesiæ & facti circumstantias ad Sedem  
 „ Apostolicam referat, & quod ab ea or-  
 „ dinatum, efficaciter adimplebit. Si verò  
 „ Episcopus amens factus sit, & quid ve-  
 „ lit aut nolit, exprimere nesciat, tunc Ca-  
 „ pitulum vel duæ ejus partes (unde ob  
 „ arduitatem causæ hîc non sufficit major  
 „ pars) eâdem Apostolicâ auctoritate  
 „ unum aut duos idoneos Coadjutores  
 „ assumant, putà temporales seu ad tem-  
 „ pus, nimirum vitâ aut impedimento  
 „ Coadjuti durante sine futura successione;  
 „ nam Coadjutoriam perpetuam seu cum  
 „ futura successione tam in simplicibus,  
 „ quàm curatis beneficiis nemo præter Pa-  
 „ pam, juxta Trident. *sess. 25. de Ref. c. 7.* dare  
 „ potest.

4. Occasione hujus Tituli Leurenus in

in *Vicario Episcopali* edidit specialem Tractatum de *Coadjutorijs*, in quo inter cætera tradit: 1. Coadjutoriam sive temporalem, sive perpetuam, non esse propriè beneficium, quia temporalis expirat morte Coadjuti; perpetua non confert jus in re, sed ad rem, adeoque neutra præbet titulum Ordinationis; quanquam Coadjutor perpetuus possit ordinari titulo congruæ assignatæ pensionis. 2. Licet beneficiatus Episcopo inferior, v. g. Parochus, possit tempore durantis impedimenti v. g. morbi curabilis sibi assumere idoneum Vicarium temporalem sine licentia Episcopi, si tamen impedimentum sit perpetuum, non posset in toto & pro tota cura sibi constituere Coadjutorem ad vitam, sed tunc solus Episcopus (uti quando beneficiatus demens factus fuerit) qui jus instituendi & destituendi in beneficiis habet, Coadjutorem dare potest, juxta *DD.* apud *Schmaltzgr. b. t. n. 12.* non Patronus aut Collator Episcopo inferior. 3. Electo in Episcopum & confirmato, si ante consecrationem officium linguæ vel oculorum amittat, aut aliàs effectus sit perpetuò inhabilis, non dandum esse Coadjutorem, sed amovendum in totum; idem est de Abbate, qui consecrari debet. 4. Papam non posse dare Coadjutorem perpetuum

con-

contra Concordata Germaniæ sine consensu Capituli, Collatorum aut Patronorum. 5. Distributiones quotidianas per se deberi Coadjuto ægrotanti, non Coadjutori; estò hic intersit Divinis, nisi huic in supplementum stipendii ex pacto sint assignatæ.

5. Denique docet *Leurenus*, Coadjutorem datum Episcopo dementi posse conferre beneficia, resignationes recipere, aliâque omnia facere, quæ potest ipse Episcopus sanæ mentis, conformiter dictis *L. 1. T. 10. n. 9.* de Administratore Apostolico; secus est de Coadjutore Episcopi, qui est sanæ mentis. *Nec obstat*, quòd in dicto *Cap. unico* dicatur: „tali casu Coadjutores non posse bona hujusmodi Prælatorum quomodolibet alienare. *Nam* solum prohibetur alienatio libera, non necessaria, qualis tunc est collatio beneficii vacantis, ne Ecclesiæ nimis diu vacent cum diminutione cultûs Divini. Item in Coadjutore temporali requiri actu Ordinem aliâsque qualitates requisitas ad beneficium administrandum; unde si curatum sit, debet esse actu Sacerdos & prævio examine idoneus repertus. *N. D.* Satis est Parochum intra annum fieri Sacerdotem. *Nam* disp. est, quia Parochus non tenetur primo anno per se ministrare Sa-

cramenta; Coadjutor autem tenetur statim, ne opus sit Coadjutore Coadjutoris. Verum in Coadjutoriis perpetuis videmus aliter in praxi fieri, quia passim fiunt Coadjutores in Episcopatibus, qui Sacerdotium non habent, per quod, ut ait *Gonz. b. t.* in fine, manifestè apparet, aliud non quæri quàm perpetuationem Dignitatis vel beneficii inter consanguineos, dum vegeto & robusto datur juvenis & Ministerii sacri planè rudis nepos aliusve ex familia in Coadjutorem. Plura de his vide apud *Leur. l. c.*

6. His adde ex *Reiffenst. n. 7. b. t.* Clericum ex fundatione obligatum ad certum numerum Missarum hebdomadatim, si ad breve tempus v. g. unam vel alteram septimanam aut etiam mensem infirmetur, non teneri ad suppletionem Missarum tunc omissarum, nisi fundatio expressè aliud exigat, ut nimirum per se vel substitutum celebret præscriptis diebus, v. g. ut populus Missam audire valeat; tunc enim, cum verba fundationis sint clara, non est locus interpretationi, ne quis nodum in scirpo quærere videatur.

7. Præterea nota ex *Pichler ad hunc Tit. Decis. 79.* Hæredes Coadjuti teneri solvere stipendium Coadjutori pro tempore Coadjutoriaë debitum & à Coadjuto non so-

386 LIBER III. TITULUS VII.  
lutum; item curare suppleri Missas per  
longum tempus à Coadjuto omiffas, ad  
quas ex fundatione obstrictus erat; ac eos  
esse obligatos ad reparandas ædes bene-  
ficiales ruinosas, quia beneficiati eas ex  
redditis beneficii benè servatas suis suc-  
cessoribus relinquere tenentur.

## TITULUS VII.

### *De Institutionibus.*

I. Juxta decantatissimam Juris Regulam  
*Beneficium Ecclesiasticum sine institu-  
tione Canonica obtineri nequit*; ubi per in-  
stitutionem venit quævis provilio seu  
concessio beneficii legitimè facta. Propriè  
autem INSTITUTIO est concessio Canonica  
(i. e. juxta Canones facta ab eo, qui legiti-  
mam habet potestatem beneficii ad præ-  
sentationem Patroni.) Intra quod tempus  
factâ præsentatione debeat ea fieri, legibus  
non est definitum, sed arbitrio Judicis re-  
linquitur, ut ait *Corvinus L. 2. Tit. 33.* In  
Constitut. tamen Pii V. *In conferendis* præ-  
scribitur bimestre, ultra quod à die præ-  
sentationis personæ ad beneficium cura-  
tum juxta formam Trid. approbatâ col-  
latio differri nequit; aliàs ad Superiorem  
pro hujusmodi institutione obtinenda  
præsentatus habet recursum. Estque vel  
solum

solum *collativa Tituli*, quæ dat jus in re  
 respectu beneficii patronati, uti præsen-  
 tatio jus ad rem; vel *Auctorizabilis*, per  
 quam simul datur præsentato ad benefi-  
 cium curatum jurisdictio fori pœniten-  
 tialis, & auctoritas exercendi curam ani-  
 marum per Sacramentorum administra-  
 tionem. Unde Institutio differt à COLLA-  
 TIONE, quæ est concessio beneficii omnino  
 libera, quando nimirum Collator pro suo  
 arbitrio sine alterius præsentatione Cleri-  
 cum ad beneficium vacans assumit. Item  
 ab INVESTITURA (quæ accessorie consequi-  
 tur Institutionem aut Collationem) tum  
*Reali*, per quam institutus actualiter in-  
 troducitur in possessionem beneficii sub  
 certis ritibus juxta consuetudines loco-  
 rum; tum *Verbali*, dum per verba cum  
 traditione alicujus signi v. g. impositione  
 byreti constituto datur facultas, v. g. ab  
 Archidiacono, capiendi corporalem pos-  
 sessionem vacuam beneficii per se vel per  
 mandatarium, etiam laicum, cui id, cum  
 sit meri facti, committi potest, juxta DD.  
 per se loquendo. Vide sup. *Tit. 5. n. 12.*  
 § 14. specialia hoc Titulo statuta sunt:  
 2. 1. *In Decret. c. 5.* „Non amplius susci-  
 piuntur in Monasterio Canonico-  
 rum, atque Monachorum seu puellarum, nisi  
 quantum in eo absque necessariarum re-

rum penuria degere possunt. Unde etiam Trident. *sess. 25. de Regul. c. 3.* decernit: „In Monasteriis & domibus tam virorum quam mulierum possidentibus, vel non possidentibus is tantum numerus constituatur ac imposterum conferretur, qui vel ex redditibus propriis Monasteriorum, vel ex consuetis eleemosynis commodè possit sustentari.

3. C. 3. „Pontifex reprobatur pravam consuetudinem, quòd Clerici Ecclesiastica beneficia sine consensu Episcopi Diœcesis vel Officialium suorum (quod hoc de jure possunt) recipiunt, quia id à SS. PP. institutionibus alienum, & Ecclesiasticæ contrarium honestati. Hinc Ordinarius quoad jus instituendi habet pro se intentionem fundatam in jure communi; uti etiam Vicarii Generales, qui sine speciali Mandato Episcopi præsentatos instituere possunt, quia Institutio est actus jurisdictionis necessariæ & justitiæ non continens in se rationem gratiæ adeoque nullum per hoc Episcopo generatur præjudicium.

4. Nihilominus ex præscriptione, juxta c. 6. h. t. fundatione, consuetudine &c. personis Ecclesiasticis inferioribus competere potest Institutio, juxta DD. apud *Schmaltzgr. h. t. n. 10.* Nec obstat, quòd

Trident. *sess. 14. de Ref. c. 12.* dicat: „In casu  
 fundationis aut dotationis etiam à laico  
 factæ Institutio Episcopo & non alteri  
 inferiori reservetur. *Nam* vel loquitur  
 tantum de Institutione authorizabili, quæ  
 hodie jure novo Tridentini *sess. 7. de Ref.*  
*c. 13.* nulli inferiori, nequidem Archi-  
 diacono, aliàs de jure habenti jus in-  
 vestiendi, ullâ ratione competere potest,  
 ut notat *Reiffenst. h. t. n. 38.* nisi fortè sit  
 Abbas Monasterii exempti exemptione  
 plenâ, i. e. unâ cum populo & Parocho  
 in spiritualibus & temporalibus, ut ait  
*Leurenus P. 2. Q. 7.* Vel illud Triden-  
 tini juxta *Lacroix L. 4. n. 361.* intelligen-  
 dum, nisi Episcopus consenserit ap-  
 probando fundationem aliter factam de  
 beneficio simplici vel curato, in quo  
 meritò consentire debet, ne alii præfer-  
 tum laici à foundationibus absterreantur.  
 Prætereà ex privilegio vel commissio-  
 ne Prælatorum jus instituendi potest  
 competere Abbatissis; sic videmus, quòd  
 in variis Ecclesiis sibi subjectis Clericos  
 præsentatos instituant, aut etiam bene-  
 ficia conferant, quia ipsis exercitium  
 nonnullorum actuum spiritualis juris-  
 dictionis externæ communicare potest,  
 ex *Cap. 12. De Major. & Obed. L. 1. T. 33.*

n. 2.

5. Verum personæ merè laicæ, esto per privilegium Apostolicum possint instituire & institui, (quod concessum nonnullis Regibus; sic Præbendam habet in Ecclesia Legoniensi Rex Hisp. Pictaviensi & Cennomannensi Rex Gallia; in Aquisgranensi Rex. Rom. ad S. Petrum in Vaticano Imperator, ubi Romæ fuerit coronatus) per nullam tamen consuetudinem aut præscriptionem etiam immemoriam jus instituendi aut conferendi activè vel passivè ipsis competere potest. Nec obstat trita Juris MAXIMA: *Viâ præscriptionis immemorialis obtineri potest, quod potest viâ privilegii.* Nam id solum verum est, si persona sit capax possidendi; jam verò laicus est incapax possidendi jus instituendi vel conferendi, ut potest merè spirituale.

6. C. 5. Decernit Pontifex: „Quia in  
 „omni gente, qui facit justitiam, acceptus  
 „est Deo, nec Sanctuarium Dei jure communi  
 „venit hæreditario possideri, ut Episcopi  
 „viros religiosos, honestos & literatos  
 „undecunque originem duxerint, in Ecclesiis  
 „clesiis præsertim Majoribus instituere  
 „non postponent. Per quod tamen non  
 „prohibetur fundari beneficia, quæ sint de  
 „bita personis ex certa familia vel certo  
 „loco oriundis, i. e. juxta stylum Curia

teste *Corra. Praxis Benef. l. 2. c. 10. n. 49.*  
 ortis seu natis. Hinc hodie, non obstante  
 iure antiquo, non sufficit, ut quis originem  
 ducat ex eo loco, unde maiores ejus fue-  
 rint, v. g. Pater, vel Avus, ad hoc, ut dica-  
 tur e tali loco oriundus; cui consonat Con-  
 stitutio INNOC. XII. *Speculatores.*

7. C. 7. „Prælati, ad quem pertinet  
 donatio Dignitatum ac Præbendarum  
 in Ecclesia, ipsas recipere non potest à se-  
 ipso, cum inter dantem & accipientem  
 debeat esse distinctio personalis; sed nec  
 ab alio, cum jus conferendi alius non  
 habeat. Ratio hinc adducta, licet gene-  
 raliter vera non sit, juxta dicta in *Nucl.*  
*Theol. Exam. 2. n. 13. §. Quamvis*, ex spe-  
 ciali tamen juris dispositione ad evitan-  
 dam ambitionem generaliter tenet in be-  
 neficialibus, ut nemo possit per se vel per  
 substitutum sibi ipsi conferre beneficium,  
 in eo instituere, ad illud seorsim se eligere  
 vel præsentare; quamvis possit ad vota  
 aliorum eligentium vel patronorum ac-  
 cedere, ut dictum *L. J. T. 6. §. 2. n. 3.*

8. II. *In 6. h. t. c. 1.* decernit Pontifex:  
 „Etià Capitulum Sede vacante beneficia  
 ad collationem Episcopi spectantia con-  
 ferre non possit; præsentatos tamen  
 à Patronis, si idonei sint, admittere  
 potest & eos instituere. Item C. 2. Si is,

„ ad quem præsentatio in Parochiali Ec-  
 „ clesia pertinet, quempiam præsentet in  
 „ Sacris non constitutum, ipsum, dum-  
 „ modo sit idoneus & infra tempus à jure  
 „ statutum ad Ordines, quos Ecclesiæ cu-  
 „ ra requirit, possit promoveri, Pontifex  
 „ mandat admitti. Nihilominus Trident.  
 „ *sess. 7. de Ref. c. 13.* decernit: „ Ut præsen-  
 „ tati vel nominati ad quævis beneficia  
 „ Ecclesiastica non instituantur nec con-  
 „ firmentur, nisi fuerint prius à locorum  
 „ Ordinariis examinati & idonei reperi-  
 „ ti. Quod pro forma requiritur ad Institutio-  
 „ nem collativam in beneficiis curatis, jux-  
 „ ta Trident. *sess. 25. de Ref. c. 9.* in simpli-  
 „ cibus verò non est de necessitate, juxta  
 „ *Reiffenst. b. t. n. 21.*

## TITULUS VIII.

*De Concessione Præbendæ & Ecclesiæ  
 non vacantis.*

**I.** Beneficia tripliciter censentur vacare,  
 vel *de facto tantum*, ut si quis retento  
 titulo amittat possessionem, v. g. per vio-  
 lentam expulsionem aut coactam renun-  
 tiationem; vel *de jure tantum*, ut si quis  
 ex juris dispositione, v. g. ob crimen, af-  
 secutionem pacificam beneficii incom-  
 patibilis, sententiam Judicis &c. est pri-  
 varius

vatus titulo, & possessionem detinet; vel de jure & de facto simul, ut si apud neminem sit titulus vel possessio beneficii, v. g. ob mortem beneficiati, liberam resignationem, professionem religiosam, matrimonium validum à Minorista contractum &c. Circa triplicem hanc vacationem h. t. statuitur:

2. I. In Decret. c. 2. „Nulla Ecclesiastica beneficia vel Ecclesiæ alicui tribuantur, antequam vacent, ne desiderare quis mortem proximi videatur, in cujus locum & beneficium se crediderit successurum. Cùm verò Præbendæ Ecclesiasticæ vacant, infra sex menses personis dignis conferantur. Si autem Episcopus, ubi ad eum spectat, conferre distulerit, per Capitulum ordinetur. Quòd si ad Capitulum pertinuerit, & infra præscriptum terminum hoc non fecerit, Episcopus hoc exequatur; aut si omnes fortè neglexerint, Superior de ipsis jure devolutionis disponet. Circa quod notat Pirrhing h. t. n. 34. fieri devolutionem ab Episcopo negligente ad Capitulum & vice versâ jure sic disponente propter communionem inter illos tanquam inter Caput & membra ejusdem corporis, ut meritò unius defectus ab altero suppleatur; idque tantum

habere locum in beneficiis spectantibus ad collationem Episcopi jure proprio & non jure devoluto, quæ Episcopo negligente non ad Capitulum, sed ad Superiorem Episcopi (à quo confirmationem petere tenetur) devolvuntur. Verùm C. 5. decernitur: „Cum Lateran. Constitutio  
 „contra negligentes tantum & desides  
 „fuerit promulgata, semestri tempus non  
 „à tempore vacationis Præbendarum,  
 „sed notitiæ ipsius Collatoris legitime  
 „non impediti computandum.

3. C. 6. „Cum electus ex Præposito in  
 „Episcopum eandem Præposituram post  
 „consecrationem rursus de novo à Capi-  
 „tulo sibi collatam sicut antea possideret,  
 „eandem à Papa obtinuit T. sine mentio-  
 „ne, quòd Præpositura non vacaret de  
 „facto; Pontifex, quia talis possessio plus  
 „habet facti, quàm juris, suam collatio-  
 „nem tanquam subreptitiam decernit ir-  
 „ritam. Unde licet à Papa obtineri possit  
 beneficium de jure tantum vacans, in im-  
 petratione tamen non sufficit dicere sim-  
 pliciter, quòd vacet, si alius est saltem in  
 colorata possessione facti, quia beneficium  
 coloratè possessum non debet alteri eripi,  
 donec possessioni detrahatur color; secus,  
 si possessio sit evidenter injusta, v. g. in  
 Minorista conjugato.

4. C. 10. „ Statuta Lateran. Concilii de  
 „ beneficiis ultra sex menses vacantibus  
 „ locum non habent in Ecclesia non nu-  
 „ merata, cum in illa nec sint distinctæ  
 „ Præbendæ, nec Canonorum numerus  
 „ definitus; qui auctis fructibus augetur,  
 „ decrefcentibus minuitur; & hinc per obi-  
 „ tum Canonici non vacat Canonatus,  
 „ quia omnes redditus pertinent ad com-  
 „ munem mensam, sed cum defuncto extin-  
 „ guitur, & pro novo Canonico novum jus  
 „ creatur, eique confertur.

5. C. 16. „ Cum Comitissa Flandrensis  
 „ de non vacantibus beneficiis, in quibus  
 „ obtinet Jus Patronatûs, & donationes  
 „ eorum (cum determinatione persona-  
 „ rum præsentandarum) in manibus po-  
 „ suisset alienis, id Pontifex decernit irri-  
 „ tum, mandans, ne similia de cætero  
 „ attentare præsumat. Hinc recepta Re-  
 „ gula: Sicut Collator non potest promit-  
 „ tere vel conferre beneficium vacaturum,  
 „ ita nec Patronus potest alicui promittere  
 „ præsentationem ad beneficium nondum  
 „ vacans, aut alteri dare potestatem suo  
 „ nomine præsentandi ad illud vel promit-  
 „ tendi, quia est par ratio & periculum,  
 „ sicut in Collatione, optandæ videlicet vel  
 „ captandæ mortis alienæ.

6. II. In 6. h. t. c. 2. „ Licet jure antiquo  
 „ Cap.

„Cap. *Accedens 14. b. t.* decretum fuerit,  
 „ut ii, qui promittunt se provisuros de  
 „beneficiis, cum potuerint vel se facultas  
 „obtulerit, non addito, *si vacaverint*,  
 „promissiones suas debeant adimplere;  
 „quia tamen per eiusmodi promissionem  
 „aperitur via ad promittenda contra  
 „Concil. Lateran. beneficia vacatura,  
 „Pontifex promissiones easdem & alias  
 „quascunque, per quas directe vel indi-  
 „recte aperiri via valeat ad vacatura be-  
 „neficia, & mortis alienæ votum ingeri,  
 „penitus reprobatur & viribus vacuat, nul-  
 „lumque per tales promissiones, esto ju-  
 „ratas, obligari deinceps decernit. Cui  
 „consonat Trident. *sess. 24. de Ref. c. 19.* de-  
 „cernens: „Mandata de providendo &  
 „Gratias, quæ expectativæ dicuntur, ne-  
 „mini amplius concedi, etiam sub quovis  
 „colore, nec concessis cuiquam uti licere.  
 „His tamen non obstantibus Collator aut  
 „Patronus potest dare alteri spem, non jus  
 „ad beneficia vacatura; item Imperator  
 „potest de facto Precistis, & Pontifex de  
 „plenitudine potestatis dare quibusvis ex-  
 „pectativas ad beneficia proximè vacatu-  
 „ra, citra tamen præjudicium aliorum,  
 „v. g. in Concordatis præservatum.

☞ (†) ☞

TITU.

## TITULUS IX.

*Ne Sede vacante aliquid innovetur.*

1. **H**æc rubrica, quia sensum completum continet, est regula negativè concepta, eique inhærendum, donec de fallentia constet; nam regulariter valet argumentum à rubro perfectum sensum habente. Hoc Titulo statuitur:

2. I. *In Decret. c. 1.* „Episcopali Sede vacante non decet aliquid innovari, cum non fit, qui jus Episcopale tueatur. C. 2. „Cum nusquam inveniatur cautum in jure, quòd Capitulum vacante Sede fungatur Episcopi vice in collationibus Præbendarum, ea vacante non potest dici potestas conferendi Præbendas ad Capitulum per Superioris negligentiam devoluta, cum non fuerit ibi Superior, qui eas possit de facto vel jure conferre. Et C. 3. Reprobantur depositiones testium, qui vacante Ecclesiâ & carente legitimo defensore fuerunt minùs justè recepti.

3. II. *In 6. b. t. c. un.* decernitur: „Si ad Episcopum & Capitulum communiter pertinet collatio Præbendarum, mortuo Episcopo vel suspenso potest Capitulum eas vacantes conferre. Idem „poteft

potest Episcopus, si Capitulum à collatione sit suspensum, vel singuli Canonici sint excommunicati. Cùm verò ad solum Episcopum pertinet collatio, cum consilio licet & consensu Capituli, defuncto Episcopo vel suspensio Capitulum illa conferre non potest, nisi Episcopus in petenda relaxatione suspensionis fuerit in mora culpabili; ubi autem collatio ad aliquem cum consilio Episcopi pertinet, isque mortuus sit vel in remotis agat, cùm consilium tunc nequeat peti ab illo, non est vacantis beneficii collatio differenda.

4. Circa hæc observant DD. Regulam generalem, quòd Capitulum Sede vacante succedat Episcopo in omnibus tam temporalibus, quàm spiritualibus, quæ sunt suæ jurisdictionis ordinariæ, demptis casibus in jure expressis; sic nihil potest in præjudicium Ecclesiæ, v. g. alienando illius bona, (quia licet possit tunc meliorem facere Ecclesiæ conditionem acquirendo bona, deteriore non potest) vel in præjudicium Prælati successoris, v. g. per Capitulationes, quas varii Pontifices, signanter INNOC. XII. in Constit. *Ecclesiæ Catholicæ*, data 1695. estò juramento vallatas, decernunt nullius roboris esse vel momenti, neminèmq; ad earum obser-

vantiam teneri, ut ex iis nulum jus in Canonicis, aut aliqua obligatio in Episcopo oriatur. Prætereà Sede vacante Capitulum nequit litem super Ecclesiæ bonis & juribus inchoare, aut inchoatam prosequi; neque potest ea, quæ Episcopo non jure ordinario, sed ex speciali privilegio ratione Dignitatis, commissione aut tanquam Sedis Apostolicæ Delegato competunt, v.g. dispensare in impedimentis matrimonii, visitare Monasteria exempta &c. Hinc etiam quamvis Capitulum Sede vac. admittatur ad Comitatus Imperii, non tamen admittitur ad electionem Regis Romanorum, quia hoc speciali jure ratione Dignitatis Archi-Episcopo competit. Nihilominus potest Capitulum Sede vac. exercere ea, quæ sunt jurisdictionis necessariæ, v.g. acceptare Resignationes, præsentatos à patronis instituere, & teste *Leurenio Q. 521.* Si plures sint præsentati, gratificari seu unum præ reliquis instituere. *An autem possit conferre beneficia ob negligentiam Collatoris inferioris ad Episcopum devoluta?* Controvertunt Canonistæ apud *Schmaltzgr. b. t. n. 15.* Aliqui affirmant, eò quòd per hoc nihil juri Episcopali decedat, sed cedat in favorem beneficii, ne diutiùs vacare debeat. Alii negant, eò quòd

jara

jam spectet ad liberam Episcopi collationem.

5. Quænam præter hæc possit Sede vacante Capitulum ejusve Vicarius Capitularis, (intra octo dies à die notæ vacationis, juxta Trident. *sess. 24. de Ref. c. 16.* à Capitulo instituendus, cujus deputatio aliàs ad Metropolitanum devolvitur) fuse tradit Leuren. *in Vicario Episcop. integro Tractatu desuper edito*, ad quem Lectorem remitto.

## TITULUS X.

*De his, quæ fiunt à Pralato sine consensu Capituli.*

1. Episcopus vel Prælatus ex dispositione juris quandoque tenetur adhibere consilium Capituli vel alterius, etiam sub nullitate actûs, isto non adhibito, quamvis illud sequi non teneatur; nisi sit consilium reverentiæ, quod quandoque pro consensu accipitur, v. g. dum dicitur: Ne quis *inconsulto Episcopo* beneficium dimittat, ut notat *Reiffenst. b. t. n. 5.* quandoque teneri petere consensum Capituli seu majoris partis, sine quo actus est invalidus; nam *in Decret. b. t.* decernitur:

2. C. I. „Irrita erit Episcoporum donatio, vel venditio, vel commutatio rei

„Ecclesiasticæ absque collaudatione Clericorum, i. e. consensu Capituli. Unde sine eo nequit Episcopus unire, dismembrare vel suppressere beneficia; novam Parochiam intra fines alterius erigere &c. *An autem sine eo possit repudiare legatum vel hereditatem Ecclesiæ oblatam?* Disputant DD. apud Leuren. *h. t. in Foro Eccles.*

Q. 122.

3. C. 2. „Concessio Decimæ (putà ad tempus) prius facta ab Abbatissa M. si Conventu sciente & non contradicente facta est, robur firmum debet habere.

„Verùm si præfata Abbatissa ignorante Conventu aut contradicente prius Decimam concessit, & post de assensu Conventûs eam alteri dedit, secunda concessio debet præjudicare priori. C. 4.

„Quia Episcopus & Canonici unum corpus sunt, ita ut ipse Caput, hi membra esse probentur, non decet Episcopum, omiſſis membris aliorum consilio in Ecclesiæ suæ negotiis uti, cum non sit dubium, id honestati & SS. PP. institutionibus contraire. Inde Pontifex prohibet, ne Abbates, Abbatissas aliasque Personas Ecclesiasticas sine consilio & assensu Canonorum Episcopus instituere vel destituere præsumat. C. 5. Non decet Episcopum in negotiis Ecclesiæ con-

Cc

„siliam

„filium Fratrum suorum postponere,  
 „cum quibus unum existere compro-  
 „batur.

4. C. 6. „Si Prælati & Collegium  
 „habeant jus præsentandi, & Conventus  
 „vel majoris vel sanioris partis non ad-  
 „fuerit consensus, institutiones hujus-  
 „modi convenit evacuari; nisi Prælati  
 „ex probata consuetudine vel concessa  
 „libertate probaverit, non debere in be-  
 „neficiorum collationibus requiri Col-  
 „legii consensum. C. 7. Quando decima  
 „possidetur à laico, monendus est, ut eam  
 „restituatur Ecclesiæ, ad quam pertinet;  
 „si ad hoc induci nequeat, & eam cum  
 „Diocesani consensu alteri Ecclesiæ vel  
 „Monasterio assignarit, ipsa donatio per-  
 „petuam firmitatem obtinet, cum aliud  
 „sit alienare, quod ab Ecclesia possidetur,  
 „& aliud, quod malè detinetur à laico, ad  
 „usum Ecclesiasticum revocare; in alie-  
 „natione enim, juxta Decretum Leonis  
 „Papæ, consensus Episcopi sine Cleri con-  
 „sensu non sufficit; in revocatione autem,  
 „juxta dictum Hieronymi ad Damasum,  
 „sufficit consensus Episcopi, cum per-  
 „utrumque utilitati Ecclesiasticæ con-  
 „sulatur.

5. Denique C. 10. decernitur: „Capi-  
 „tula Cathedralia ad Concilia Provincia-

lia invitari debent, & eorum Nuntii seu Procuratores ad tractatus admitti, maxime super illis, quæ ipsa contingere Capitula dignoscuntur. Verum ii solum admittuntur ad votum consultivum, (non decisivum, utpote quod solis Episcopis & Abbatibus jus baculi & mitræ habentibus in Conciliis competit) qualiter etiam juxta Trident. *sess. 24. de Ref. c. 2.* Rectores Ecclesiarum convocari, & Synodo Diocæsanæ interesse tenentur.

Hæc per se clara sunt, nec expositione indigent. *In quibus autem aliis casibus Episcopus vel Prelatus teneatur requirere consensum Capituli, & in quibus sufficiat petere consilium?* Petendum ex specialibus Statutis aut Jure consuetudinario singularum Ecclesiarum vel Monasteriorum.

## TITULUS XI.

*De his, quæ fiunt à majore Parte Capituli.*

**I.** PER CAPITULUM hîc intelligitur Collegium Canonorum & aliorum, qui de jure vel consuetudine in actibus Capitularibus habent votum seu jus suffragii; in quo, quia ut ait *Leuren. h. t. q. 131.* sæpe reperiuntur heteroclita capita, adeoque

consultum non fit, ut valor actûs semper pendeat ab omnium consensu, hinc h. t. statuitur:

2. *In Decret. c. 1.* „ Cùm in cunctis Ecclesiis, quod pluribus & sanioribus fratribus visum fuerit, incunctanter debeat observari, statuit Conc. Lateran. ut nihil à paucioribus & inferioribus aliquid rationabiliter objectum & ostensum fuerit, appell. rem. prævaleat semper, quod à majori & saniori parte Capituli fuerit constitutum. Unde pro sententia majoris & sanioris partis (quænam illa censetur, dictum est *L. 1. T. 6. §. 1. n. 10.*) stat præsumptio juris, non de jure, adeoque probationem in contrarium, v. g. quod cedat in damnum Ecclesiæ, non excludit. In variis etiam casibus à jure expressis, v. g. in assumptione Coadjutoris, Episcopo in amentiam lapsa, requiruntur duæ Tertiæ Capitularium, juxta dicta *sup. T. 6. n. 3.*

3. *C. 4.* Cùm Archi-Episcopus R. ad restaurandam fabricam Ecclesiæ cum consensu majoris & sanioris partis Capituli statuisset, ut quilibet Canonicorum unà cum Archi-Episcopo aliquam reddituum portionem operi tam pio & necessario deputaret, mandat Pontifex, ut si quis tali statuto duxerit re-

„ sistet.

UT BENEF. ECCL. SINE DIMINUT. CONFERANTUR. 403  
sistendum, tamen obtineat sententia  
plurimorum. Verum tale Decretum  
factum à majori parte Capituli pro ope-  
re aliquin pio, sed ad Ecclesiam vel Ca-  
pitulum non multum pertinente, potest  
pars minor vel etiam unicus se oppo-  
nere, prætendendo proprium seu singu-  
lare suum interesse, juxta R. J. 29. in 6.  
*Quod omnes tangit, ab omnibus debet ap-  
probari.*

## TITULUS XII.

*Ut Beneficia Ecclesiastica sine diminu-  
tione conferantur.*

Rubrica, quia perfectam habet senten-  
tiam, pro lege habetur, in qua Tò  
*conferre* comprehendit præsentationem,  
institutionem & quamlibet aliam provi-  
sionem beneficii; quod quinque modis  
diminui dicitur:

I. PER RESERVATIONEM REDDITUM, in  
parte vel in toto, de qua *h. t. c. un.* „Cum  
Archiepiscopus M. officium Cancellariae,  
retentis sibi proventibus, alteri con-  
tulisset, rescripsit Pontifex: Si cum eo,  
qui accepit beneficium, ante collationem  
convenerit, ut retineat ipse sibi proven-  
tus, non est dubium intercedere simo-  
niacam pravitatem, cum & in Lateran.

„Concilio fit prohibitum, ne quis con-  
 „ferendo beneficium partem proven-  
 „tuum suis usibus retinere præsumat, &  
 „cautum reperiatur in Canone, quod  
 „Ecclesiastica beneficia debent sine di-  
 „minutione conferri; si verò ante colla-  
 „tionem proventus retineantur ad tem-  
 „pus pro causa justa & necessaria Eccle-  
 „siæ, decernitur esse licitum. Hinc jure  
 ordinario potest Episcopus, non Collator  
 inferior, fructus beneficii vacantis, aut  
 partem illorum etiam à Collatario ad tem-  
 pus solvendam reservare ob justam & ne-  
 cessariam causam, v. g. ad solveuda de-  
 bita nomine Ecclesiæ contracta, repara-  
 tionem Ecclesiæ &c. de qua *Leuren. h. l.*  
*Q. 134. & seq.*

II. PER IMPOSITIONEM NOVI ONERIS, sive  
*Personalis*, v. g. legendi tot Sacra hebdo-  
 madatim, servandi Catechismum &c. vel  
*Realis*, v. g. solvendi annuam pensionem,  
 &c. Verum licet id non possit Collator  
 inferior, (qui non potest gravare Colla-  
 tarium ultra onera beneficio ex jure vel  
 fundatione inhærentia, v. g. ex redditibus  
 conservandi ædes beneficiales; solvendi  
 pro rata sumptus extraordinarios pro  
 melioratione beneficii, necessaria nova  
 ædis ædificatione, &c. cum consensu Or-  
 dinarii ab Antecessore factos, nisi ut no-

tat *Lacr. n. 910.* appareret, quòd eas fecif-  
 set purè in favorem Ecclesiæ sine animo  
 eas repetendi) potest tamen Episcopus ex  
 justa causa ante collationem beneficii im-  
 ponere novum onus; non post, quia juri  
 iam quæsito præjudicare nequit. An au-  
 tem possit Episcopus imponere onus sol-  
 vendi pensionem, durans non solùm ad  
 vitam beneficiati, sed etiam Pensionarii,  
 ut transeat ad successorem in beneficio?  
 Controvertunt DD. apud *Pirrh. h. t. n. 10.*  
*Lacr. n. 1112.* saltem Trident. *sess. 24. de*  
*Ref. c. 13.* decernit: „ Ut imposterum Pa-  
 rochiales Ecclesiæ, quæ summam Du-  
 catorum centum secundùm verum an-  
 nuum valorem non excedunt, nullis  
 pensionibus aut reservationibus fru-  
 ctuum graventur. Ex justa tamen &  
 gravi causa, v. g. si Parochus resignans sit  
 senex, infirmus, &c. nec habeat, unde vi-  
 vat, posse adhuc Episcopum resignanti  
 pensionem constituere, docet *Reiffenst. h. t.*  
*n. 102.* Pariter Trident. *l. c. c. 14.* prohibet,  
 „ ne quid à Neo-beneficiatis exigatur, v. g.  
 „ pecunia, convivium, aut simile quid pro  
 „ admissione ad possessionem, non in pios  
 „ usus, sed in utilitatem aliorum conver-  
 „ tendum, eò quòd simoniacæ labis aut  
 „ sordidæ avaritiæ suspicionem habeat.  
 Consuetudinem tamen contrariam sol-



vendi pecunias statutarias, dandi convivium &c. in Ecclesiis Germaniæ consuetam, *Pirrb. apud Leur. in Foro Benef. p. 3. q. 748.* Simonix damnare non audet.

III. PER DIVISIONEM, quando ex uno beneficio duo constituuntur, quod ex rationabili causa potest Episcopus cum assensu Capituli, v. g. ex una Parochia facere duas, si ita sit dilatata, ut unus populo commodè satisfacere nequeat, juxta *c. 26. de Præbend. sup. T. 1. n. 6. & c. 3. de Eccles. ædif. infra. T. 48. n. 3.*

IV. PER DISMEMBRATIONEM, quando remanente titulo beneficii illæso aliqua pars reddituum ab eo separata alteri beneficio vel piis locis applicatur, quod ex iusta causa potest Episcopus. Verùm tunc requiritur juxta *cap. 1. in 6. de Reb. Eccles. alien.* ut vocetur Rector illius, vel si vacet, defensor deputatus, quia per hoc fit præjudicium Rectori futuro, cum ejus sustentatio minuatur. Nequit tamen Ordinarius dismembrare beneficia curata, ut eorum fructus simplici beneficio applicentur, juxta varias Declarationes Card. apud *Reiffensf. b. t. n. 31.*

V. PER SUPPRESSIONEM, seu totalem

bene-

beneficii extinctionem. Circa quam statuit *Trident. sess. 24. de Ref. c. 15.* „In Cathedralibus & Collegiatis, ubi frequentes & tenues sunt Præbendæ, ut sustentando Canonorum numero non sufficiant, liceat Episcopis cum consensu Capituli, vel aliquot simplicia beneficia iis unire, vel saltem iis suppressis cum Patronorum consensu, si de jure Patronatûs laicorum existant, eorum fructus & proventus aliis Præbendis applicare, aut Canonorum numerum reducere, ita tamen, ut tot supersint, qui cultui Divino celebrando valeant respondere. Cum autem *Trident. l.c.* dicat: *Liceat Episcopis, &c.* & non utatur verbo: *Ordinariis*, censent DD. teste *Engel h. t. n. 6.* facultatem supprimendi non competere Vicario Generali aut Capitulo Sede vacante, utpotè solum succedenti in jurisdictionem ordinariam Episcopi, non in Dignitatem. Non tamen potest Episcopus imposterum suppressere curatum, convertendo illud in simplex, ut expressè statuit *Trident. sess. 25. de Ref. c. 16.*

VI. Cum suppressione fraternizat UNIO BENEFICIORUM; si enim unum alteri *accessorie* uniatur, unitum tunc extinguitur, amittit nomen & titulum beneficii, induitque naturam alterius, cui unitur & accrescit

crescit; si verò unio fiat *equè principaliter*, ita ut utrumque beneficium maneat in suo pristino statu quoad jura & onera, tunc id solùm operatur, ut Rector unius sit etiam Rector alterius, neutrum seorsim vacet, & unum sine altero obtineri nequeat. Utramque unionem beneficiorum (idem est de Præbendis Canonessarum, juxta DD. apud *Lacr. L.4. n.230.*) ex justa causa potest jure ordinario facere Episcopus, ex *c.33. de Præb. & alibi.* Unde eam quoque potest facere Capitulum Sede vacante, dummodo per eam jurisdictioni Episcopi nihil detrahatur; eò quòd juxta Regulam generalem apud *Leuren. in Vic. Episcopi Q. 538.* id in materia beneficiaria possit omnia, quæ potest Episcopus jure ordinario; at juxta *Trident. sess. 24. de Ref. c. 13.* „Ordinarius „nequit unire beneficium curatum Monasteriis vel Præbendis Ecclesiæ Cathedralis aut Collegiatae vel accessorie simplicibus. Deinde unio aut quævis alteratio beneficiorum nunquam fieri potest cum præjudicio vocatorum ad Jus Patronatus activum citra horum consensum; aut vocatorum ad Jus Patronatus passivum per impositionem novi oneris, quia in unaquaque dispositione semper censetur præservatum justertii. Ita *Leuren. in*

*Foro Benef. p.2. Q.94.* Unde dum Trident.  
*sess.24. de Ref. c.15.*, permittit Episcopis ex  
 „causa unire beneficia, etiam generaliter  
 „vel specialiter reservata aut affecta, de-  
 bet eorum unio fieri ante vacationem;  
 alias eo ipso quo vacant, eorum dispositio  
 pertinet ad Sedem Apostolicam. Non ta-  
 men ad talem unionem requiritur con-  
 sensus aut vocatio Rectoris vel Defensoris  
 super hoc dandi, ut expressè statuitur C.2.  
*in Clement. Tit. seq.* quia per eam nullum  
 patitur præjudicium, utpote quæ durante  
 ejus vitâ non fortitur effectum quoad exe-  
 cutionem; licet in praxi expediat eam ipsi  
 notificari, ne beneficium unitum resignet  
 in favorem, non factâ mentione unionis,  
 ut notat Leuren. *in Foro Benef. p.3. Q.918.*  
 qui etiam *Q.899.* censet, quòd, quamvis  
 Trident. *sess.25. de Ref. c.9.* decernat, non  
 esse permittendum, ut beneficia Ecclesia-  
 stica in servitutem redigantur, accessorie  
 uniendo beneficium liberum beneficio  
 Juris Patronatûs, id tamen fieri possit, si  
 tunc statuatur alternatio inter præsentationem  
 & liberam collationem. Nihilominus prohibet  
 Trident. *sess.14. de Ref. c.9.*  
 „Beneficia qualiacunque unius Diœcesis  
 „uniri cum beneficiis alterius Diœcesis,  
 etiamsi uterque Episcopus consentiret.

TITU-

## TITULUS XIII.

*De Rebus Ecclesiæ alienandis  
vel non.*

**R**ES ECCLESIAE aliæ sunt *immobiles*, quibus annumerantur jura fixa incorporalia, v. g. jurisdictionis, juris venandi, &c. Aliæ *mobiles*, quæ sunt *vel pretiosa*, & servando servari possunt, ac ob suum pretium, artem aut antiquitatem conferunt Ecclesiæ specialem splendorem, ad quas etiam referuntur Reliquiæ Sanctorum notabiles; vel *minus pretiosa*, v. g. veteres calices, aut quæ sine damno servari non possunt, ut frumentum, vinum, jumenta, &c.

2. Cùm bona Ecclesiastica sint DEO seu Ecclesiæ consecrata, & Prælati vel Clerici non sint eorum Domini, sed solum usufructuarii, meritò jura ad alienationem rerum Ecclesiasticarum immobilium ac mobilium pretiosarum duo copulativè requirunt, nempe *justam causam* seu evidentem Ecclesiæ utilitatem vel necessitatem, (quæ teste *Wagn. b. t. ad Cap. Ambitiose. Not. 3.* æquiparantur in jure) & debitam *juris solemnitatem*, i. e. maturam deliberationem & consensum Capituli vel legi-

DE REBUS ECCLESIAE ALIENANDIS VEL NON. 413  
tini Superioris, ut patet ex Statutis  
h. t.

3. I. *In Decret. c. 5.* „Nulli liceat alie-  
nare rem immobilem Ecclesiae, sive  
agrum, sive domum, sive hortum, nec  
creditoribus specialis hypothecae titulo  
obligare. Alienationis autem verbum  
continet conditionem, i. e. pactum, do-  
nationem, venditionem, permutatio-  
nem & emphyteusin perpetuam. C. 6. Li-  
ceat quibuscunque Ecclesiasticis aliena-  
tioni contradicere, cum fructibus aliena-  
ta reposcere, & ad hoc auctoritate Ec-  
clesiasticâ fulciantur. Et C. 7. Illas verò  
terras, quæ de sylvis extirpatis arabiles  
sunt factæ, eis hæreditario jure sub an-  
nuo censu poterit Episcopus (ob hanc  
causam accedente juris solemnitate)  
concedere tenendas, à quibus ipsas suo  
vel parentum suorum labore constite-  
rit fuisse extirpatas, nisi fortè aliis  
possent ad majorem Ecclesiae utilita-  
tem conferri. Vide *L. 1. T. 41. n. 2.* Item  
C. 8. Possessiones etiam, quæ Ecclesiae  
minùs sunt utiles, pro aliis utilioribus,  
de Fratrum suorum & sanioris partis  
consilio & assensu, alienandi seu com-  
mutandi libera Episcopo conceditur  
facultas.

4. II. *In 6. h. t. c. 1.* decernit Pontifex,

„COR-

„ Concessiones perpetuas bonorum Ec-  
 „ clesiae, nisi subsit evidens necessitas vel  
 „ utilitas, & desuper tractatus solemnis sit  
 „ habitus, non valere. Et C.2. Contractus  
 „ omnes etiam jurati, quos de alienatio-  
 „ nibus rerum Ecclesiasticarum sine con-  
 „ sensu Capituli & licentia Sedis Aposto-  
 „ licæ contigit celebrari, & omnia secuta  
 „ ita sint irrita, ut nec jus aliquod tri-  
 „ buant, nec causam præscribendi. (Ex  
 „ dictis in Nucl. Theol. Exam. 8. n. 8. §.2.)  
 „ Prælati secus facientes ipso facto ab offi-  
 „ cio, & Clerici rei conscii, qui id Supe-  
 „ riori non denuntiârunt, à beneficiis, quæ  
 „ in Ecclesia sic privata obtinent, triennio  
 „ suspendantur.

5. III. *In Clement. b. t. c. 1.* „ Perpetuo  
 „ Edicto prohibet Pontifex, ne quis Præ-  
 „ latus Monasterii vel Ecclesiae jura, red-  
 „ ditus aut possessiones ejusdem alicui ad  
 „ vitam sive aliud longum tempus v. g.  
 „ decennium, pecuniâ etiam inde receptâ,  
 „ quovis modo concedat, nisi necessitas  
 „ vel utilitas Ecclesiae hoc poscat, & Su-  
 „ perioris assensus accedat; secus faciens,  
 „ eo ipso ab officio sit suspensus; neque ex  
 „ concessione ipsius de bonis Ecclesiasti-  
 „ cis aliquod acquirenti jus acquiritur.  
 „ Verùm præmissa ad locationes ad mo-  
 „ dicum tempus, vel etiam reddituum

„aut fructuum venditiones faciendas non  
 „extenditur. Item C.2. Si Episcopus etiam  
 „cum consensu Capituli mensæ suæ vel  
 „Capitulari aliquam Ecclesiam uniêrit,  
 „hoc irritum esse decernitur, contrariâ  
 „quâvis consuetudine non obstante. Ra-  
 „tio hujus est, ne Episcopus vel Capitulum  
 „suo consensu jus sibi dicat, & in facto pro-  
 „prio auctoritatem præstet in sui commo-  
 „dum, adeoque hîc requiritur auctoritas  
 „Papæ; secus, si ex causa uniantur bene-  
 „ficia Præbendis Cathedralibus, quia aliud  
 „est Capitulum, aliud singuli de Capitulo.  
 „Ita Leuren. *in Foro Benef. p. 3. Q. 891.* Ob  
 „hoc etiam rectè docet *Pichler Decis. 84.*  
 „non posse Capitulum cassam Capitula-  
 „rem invadere, & pecunias ad communes  
 „Capituli & Ecclesiæ necessitates in ea af-  
 „servatas (quæ juxta *Engel h. t. n. 6.* accen-  
 „sentur bonis immobilibus) inter se di-  
 „videre, aut census annuos e pecunia elo-  
 „cata in bonum Ecclesiæ provenientes in  
 „sui utilitatem imminuere vel affrancare.

6. IV. In Extrav. Comm. *Famoso Cap. Ambitiosa un. h. t.* prohibet Pontifex: „In-  
 „consultâ Sede Apost. omnium rerum  
 „& bonorum Ecclesiasticorum alienatio-  
 „nem omnéque pactum, per quod ipso-  
 „rum dominium transfertur; concessio-  
 „nem, hypothecam, locationem & con-  
 „ductio-

„ductio-

„ductionem ultra triennium; necnon in-  
 „feudationem, vel contractum emphy-  
 „teuticum, præterquam in casibus à jure  
 „permiffis, ac de rebus & bonis ab anti-  
 „quo in emphyteusin concedi solitis, &  
 „cum Ecclesiarum evidenti utilitate, ac  
 „de fructibus & bonis, quæ servando ser-  
 „vari non possunt, innovando prædecef-  
 „forum decreta super hæc edita; secus  
 „attentata nullius roboris esse decernit,  
 „ita ut res & bona taliter alienata, ad Ec-  
 „clesias, Monasteria & loca pia, ad quæ  
 „anteà pertinebant, liberè revertantur;  
 „& Episcopi vel Prælati aut Rectores be-  
 „neficiorum, si inconsulto Pontifice aut  
 „contra hujus Constitutionis tenorem  
 „alienent bona Ecclesiastica, à regimine  
 „& beneficiis eo ipso absque aliqua decla-  
 „ratione sunt suspensi & privati.

7. Hanc tamen Extravagantem in suo rigore non esse in Germania receptam, vel per praxin & consuetudinem contrariam ei esse multum derogatum testatur *Wagn. ad Cap. cit.* quia passim videmus Principes Ecclesiasticos, inconsulto Pontifice, similes alienationes ex justa causa facere, non obstante illorum solito juramento, quia hoc habet subintellectam conditionem: *Si & quatenus Extravagans illa est usu recepta.*

8. Ex his inferunt DD. Personas Ecclesiasticas posse absque juris solemnitatibus alienare 1. Res exigui valoris & minus utiles, etiam immobiles, v.g. Terrulas, vineolas, &c. 2. Res, quæ servando servari non possunt. 3. Res, quæ Ecclesiæ sunt magis damnosæ quàm utiles, v.g. ædes ruinosas vendendo, & pretium in utilio-rem usum convertendo; aut veteres calices cum novis commutando, quia per hoc potius res Ecclesiæ meliorantur. 4. Res immobiles ab antiquo in Feudum vel emphyteusim dari solitas de novo concedere in Ecclesiæ utilitatem, quia tunc non est alienatio, cum res illæ nondum pleno jure ad Ecclesiam redierint, nec Prælati iis aliter utatur, quàm antè sit usus; deinde res semel facta alienabilis, semper manet alienabilis, ut ait *Barb. in axiom. c. 21*. Secus, si res immobilis sit rursum Ecclesiæ incorporata. 5. Parochos vel beneficiatos posse per triennium, non ultra elocare fundos; ipsis tamen solos fructus agrorum, arborum, &c. ultra septennium locare non est prohibitum. Verùm illud triennium debet esse utile & fructuosum; hinc ager, qui alternis tantum annis fertilis est, ad sexennium; si singulis solùm trienniis, ad novennium absque solemnitate elocari potest. 6. De-

D d

aique

nique statuit Trident. *sess. 24. de Ref. c. 11.*  
 „Omnes locationes, si anticipatis solu-  
 „tionibus fiant à Clericis, nullatenus in  
 „præjudicium successorum validæ intel-  
 „ligantur. Unde successor locationi ab  
 antecessore factæ, etiam ante lapsum trien-  
 nii, stare non tenetur, quia in beneficio  
 succedit jure novo, non jure antecessoris,  
 non enim consequitur jus à defuncto sicut  
 hæres, sed à Superiore, à quo habet insti-  
 tutionem; nisi in utilitatem Ecclesiæ cum  
 consensu Superioris diuturnior locatio  
 facta fuerit, ut decernitur *L. 5. T. 4. c. 4.*

*Quid possint Prælati Regulares in alie-  
 natione bonorum Monasterii?* Eorum Pri-  
 vilegia & consuetudines sunt attendenda.

### TITULUS XIV. XV. & XVI.

*De Precariis, Commodato, & De-  
 posito.*

**I.** **P**RECARIÆ dicuntur contractus à jure  
 Canonico introductus, (qui tamen  
 hodie penitus in usu esse desin-  
 alicui ad preces causâ remunerationis, vel  
 ob factam promissionem tempore mortis  
 benefaciendi cum ordinaria alienationis  
 solemnitate fundus vel res Ecclesiæ ad  
 tempus aut dies vitæ gratis vel sub annua  
 pensione conceduntur. Circa quas statui-  
 tur

tur C. i. h. t. „Precariæ de quinquennio  
 „in quinquennium secundum antiquam  
 „consuetudinem renouentur. Et C. 3. Pre-  
 „cariæ, quæ quandoque de Ecclesiarum  
 „possessionibus fieri solent, non sunt pro  
 „voluntate concedentium revocandæ.  
 Unde *Precariæ* differunt à *Precario* neu-  
 traliter, prout est contractus civilis, quia  
 res concessa est ad libitum revocabilis;  
 & ab *Emphyteusi*, quia non transeunt ad  
 posteros.

II. De COMMODATO h. t. c. iii. dicitur:

„Cum gratiâ sui tantum quis commoda-  
 „datum accepit, de levissima etiam culpa  
 „tenetur; licet casus fortuitus (nisi acci-  
 „derit culpâ suâ, vel intervenerit pactum  
 „seu in mora fuisset) sibi non debeat im-  
 „putari. Contra eum quoque rectè Com-  
 „modati non agitur, nisi post usum ex-  
 „pletum, cujus gratiâ res fuerit commo-  
 „data, cum non decipi beneficio nos  
 „oporteat, sed adjuvari.

III. De DEPOSITO h. t. c. 2. decernitur:

„Bona fides abesse præsumitur, si rebus  
 „tuis salvis existentibus depositas ami-  
 „sisti. De culpa quoque teneris, si te ipsum  
 „deposito obtulisti, vel si aliquid pro cu-  
 „stodia recepisses, pacto verò, culpâ vel  
 „morâ præcedentibus casus etiam fortui-  
 „tus imputatur. Sanè Depositori licet,

„pro voluntate sua depositum revocare,  
 „contra quod compensationi locus non  
 „est, ut contractus, qui ex bona fide ori-  
 „tur, ad perfidiam minimè referatur,  
 „quamvis compensatio admittatur in  
 „aliis, si causa, ex qua postulatur, sit liqui-  
 „da & facilem exitum habitura; sic v. g.  
 si mihi debeas centum ex mutuo, & ego  
 tibi vicissim ex empto, licitè tibi petenti  
 oppono compensationem; aut ex juris  
 dispositione non potest quis prætextu de-  
 biti rem depositam vel commodatam re-  
 tinere, saltem pro foro externo; nisi in  
 re ipsa necessarias fecerit expensas, quæ  
 prius refundendæ, cum eo casu nulla  
 detur præsumptio perfidiæ, ait *Gonz.*  
*ad h. cap.*

Cætera de Commodato, Deposito &  
 Precario neutraliter vide in Nucl. Theol.  
*Exam. 14. n. 3.*

## TITULUS XVII. & XVIII.

*De Emptione & Venditione. Item de  
 Locato & Conducto.*

I. I. **D**E EMPTIONE ET VENDITIONE *h. t. c. c.*  
 ait Pontifex: „Secundùm jus, si  
 „res infra dimidium justii pretii sit ven-  
 „dita, in arbitrio emptoris est, vel sup-  
 „plere, si velit, quod deest justo pretio,  
 „re

vel venditionem rescindere. Potest tamen Minor vel Ecclesia ob enormem læsionem petere restitutionem in integrum, & hoc modo obtinere rescissionem contractûs. Quæ de Emptione-Venditione hîc tradunt Canonistæ, vide in Nucl. Theol. Exam. 15. n. 4.

2. II. DE LOCATO ET CONDUCTO *h. t.*

c. 3. decernitur: „Propter sterilitatem  
 „magnam sine culpa coloni seu casu fortuito contingentem, colonis Ecclesiæ pro rata remissio pensionis est facienda, nisi cum ubertate præcedentis vel subsequæ sequentis anni valeat sterilitas compensari. Verùm invito inquilino domum inhabitare vel reficere poteris, si necessitas (quæ tamen non imminebat locationis tempore) id exposcat, remissâ sibi pro residuo temporis pensione; qui etiam inde rationabiliter amovetur, si perversè (vel physicè, reddendo eam suâ culpâ vel negligentia) notabiliter deteriore; (vel moraliter, v. g. inducendo in domum meretrices vel fures cum viciniæ scandalo & domûs diffamatione) ibi fuerit conversatus; vel cùm Canonem per biennium non solvisset, sibi satisfactione celeri non providit. Unde licet Emphyteutæ ob sterilitatem remitti non debeat pensio, utpote quam non

422 LIBER III. TITULUS XVII. & XVIII.  
ratione fructuum, sed tantum, eamque  
ordinarie modicam, in recognitionem  
Dominii prestare debet; Colono tamen  
conductio pensio propter usum rei & in  
recompensationem fructuum solvenda  
ob casum fortuitum est remittenda.

3. Item *c. 6. h. t.* statuitur: „Potest Em-  
„phyteuta (Ecclesia primitus requisita,  
„eique nuntiato, quantum sibi ab aliis  
„offertur, si nolle se emere dixerit; vel  
„a denuntiationis tempore duorum spa-  
„tium mensium sit elapsum) melioratio-  
„nes & jus sibi competens aliis vendere.  
„Emphyteuta quoque secus presumen-  
„do, vel cessando in solutione Canonis  
„per biennium (nisi celeri satisfactione  
„postmodum sibi consulere studuisset)  
„juste potest repelli, non obstante, quod  
„ei, ut Canonem solveret, non extitit  
„nuntiatum, cum in hoc casu dies statu-  
„ta pro domino interpellat.

4. Circa hoc notant DD. 1.º: Quod  
licet Emphyteusis non possit vendi irre-  
quisito domino; possit tamen sine ipsius  
consensu alienari titulo non lucrativo,  
v. g. dotis, donationis, legati, &c. modo  
priusquam novus emphyteuta in posses-  
sionem mittitur, id domino significetur,  
ut declaret, an ipsum tanquam idoneum  
velit admittere & investire. 2.º: Quod  
licet

licet emphyteufis laica jure civili non cadat in *Commiffum*, nisi per triennium Canon non fit solutus; in Ecclesiastica tamen jure Canonico statutum fit solum biennium, ita ut celeri solutione, i. e. intra modicum temporis spatium, judicis vel prudentis viri arbitrio determinandum, moram post lapsum biennii purgare possit; ast elapso termino solutionis potest dominus declarare, emphyteutam incidisse in *commiffum* contra legem pœnalem, privantem ipsum emphyteusi, quamvis is sine Judicis ministerio seu propria auctoritate ipsum expellere è possessione nequeat.

5. Nihilominus potest dominus directus remittere caducitatem; quod exercitè censetur facere, si receperit novas pensiones, non obstante protestatione, utpote facto contrariâ, de reservatione sui juris: si verò recipiat Canonem antiquum cum protestatione, quòd velit sibi salvum manere jus caducitatis, ea non censetur remissa, quia protestatione jus suum protestanti conservatur. Verùm, si Prælati Ecclesiæ Cathedralis vel Collegiæ aut Monasterii post declarationem caducitatis recipiat novas pensiones, non censetur remissa caducitas, quia, factâ consolidatione domini utilis cum dire-

cto, is Ecclesiæ præjudicare nequit sine consensu Capituli; secus, si ante illam declarationem eas receperit, quia circa jus primò quærendum Prælati potest Ecclesiæ obesse. Ita *Schmaltzgr. b. t. n. ult.*  
*An privatus sine protestatione accipiens antiquos Canones, censeatur remittere caducitatem? Item An caducatus eos teneatur solvere cum amissione Emphyteusis? Disputatur, teste Leuren. b. t. Q. 375.*

De Locatione & Conductione; item de Emphyteusi actum est in Nucl. Theol. *Exam. 15. n. 7. & 8.*

## TITULUS XIX.

### *De Rerum Permutatione.*

**I.** Juxta *L. 1. ff. de Rer. permut.* hæc definitur, quòd fit rei unius ad alteram mutua præstatio, ut ex rei traditione dominium hinc inde transferatur. Unde necesse est, ut PERMUTANTES sint rerum Domini; neque enim rei alienæ permutatione subsistit, ex *d. L. §. ideoque*. Hinc quamvis juxta dicta in Nucl. Theol. *Exam. 15. n. 4. §. 5.* Si fur emat equum Titii pro pretio furtivo, fur fiat dominus equi, non autem Titius per se dominus pretii furtivi, sed hoc evictò illi solùm remaneat actio personalis in furem; si tamen fur per-

mutet

mutet equum furtivum cum equo Titii, evicto equo furtivo remanet Titio vel actio Realis in suum equum, juxta Pirrh. *h. t. n. 3. Ex conditione Dati ob causam causâ non secutâ*; vel si malit juxta Schmaltzgr. *h. t. n. 13. ex L. si cum Patris I. C. h. t.* alterum cogere potest, ut rem aliam det ac interesse solvat. Cæterum non solum res temporales, v. g. fundi, jumenta &c. sed etiam res spirituales, estò hæ vendi non possint, citra tamen simoniam possunt permutari, v. g. Jus Patronatûs, Beneficia, Reliquiæ &c. si fiat modo non prohibito. Nam *h. t.* statuitur:

2. I. In *Decret. C. 5.* „Commutationes „Præbendarum de jure fieri non possunt, „præsertim pactione præmissâ, i. e. sine „auctoritate Superioris, quæ circa spi- „ritualia vel annexa spiritualibus labem „semper continet simoniæ. Si autem „Episcopus causam inspexerit necessa- „riam, licitè poterit de uno loco ad alium „transferre personas, ut quæ in uno loco „minùs utiles sunt, alibi se valeant uti- „liùs exercere. Unde licèt coram Episco- „po non possit fieri resignatio in favorem, coram eo tamen ex justa causa potest fieri permutatio beneficiorum, v. g. Curati cum non curato, pinguis cum tenui, dum-

Dd § modo

modo fraus absit, & obtinens tenue se decenter alere possit. Ast verum beneficium cum ficto, i. e. macilento nulliusque fere momenti, quod vocatur *de Pertica*, permutari nequit; uti nec sine consensu Patronorum vel cum præjudicio Collatorum. Potest etiam Episcopus ex causa necessitatis Clericum, si v. g. causaverit scandalum in populo, aut in loco sit minus idoneus, cogere, ut suum beneficium cum altero permutet.

3. C. 8. „Cum de Parochialibus Eccle-  
 „siis per se queat permutatio celebrari;  
 „& in permutatione possessionum per se  
 „non sit inhibitum, si alterâ ratione pos-  
 „sessionum alteri præponderet, pecu-  
 „niam posse refundi, de ipsarum posses-  
 „sionibus ad invicem poterit, refusâ cer-  
 „tâ pecuniæ quantitate, contractus per-  
 „mutationis iniri; sic tamen, quòd illi  
 „contractus nequaquam sibi invicem  
 „miscantur; videl. ut non ratione spiri-  
 „tualitatis majoris v. g. ob annexam Digni-  
 „tatem detur temporale, (quod esset simo-  
 „niacum) sed factâ permutatione juris  
 „spiritualis cum spirituali excessus tempo-  
 „ralitatis seu possessionum per alias posses-  
 „siones seu pecuniam compensetur, adhi-  
 „bitis solemnitatibus juris ad alienationem  
 „rerum Ecclesiæ requisitis. *An autem si per-*

mutentur beneficia quoad fructus inaequalia, possit Ordinarius imponere pensionem pinguiori beneficio pro aequanda ista inaequalitate? Controvertunt DD. apud *Lacr.* L. 4. n. 1104.

4. C. 9. „Cum permutatio de spiritualibus ad temporalia improbetur, decimationes pro re temporali seu pecunia concedi non possunt. Unde licet decimæ, quia sunt merè temporale, vendi possint, jus tamen decimandi, cum sit res spiritualis, cum re temporali permutari nequit sine auctoritate Papæ aut legitimi Superioris; nisi jus Decimarum vel per venditionem cum consensu Episcopi ante Concilium Lateran. vel per privilegium Apostolicum post illud sit translatum in laicos, & sic perpetuò separatum à titulo spirituali.

5. II. In 6. b. t. c. un. „Licet aliqui potestate Apostolicâ beneficia proximè vacatura expectent, illos tamen, qui secundum formam juris beneficia ad collectionem Episcopi spectantia permutare volentes, liberè in manibus illius illa resignant, non vult Pontifex, æquitatem præferens rigori, circa permutationem beneficiorum hujusmodi, quæ alias minimè resignassent, impediri. Huic affine est C. 2. de Renuntiat. in 6. ubi dicitur:

„tur: Si in fraudem expectantis auctori-  
 „tate Apostolicâ (vel Cæsareâ) primam  
 „Præbendam vacaturam, alius in eadem  
 „Ecclesiâ resignet beneficium tenue, quod  
 „in proximo credat pinguius vacaturum,  
 „non tenetur expectans illud recipere, sed  
 „potest expectare alteram Præbendam  
 „pinguiorem, eamque petere velut sibi  
 „debitam. Quæ, si prædicto Renuntianti  
 „confertur, eo ipso fraus intelligitur pro-  
 „bata, & idem Renuntians utrâque Præ-  
 „bendâ carebit; nempe primâ, quia eam  
 „resignavit; & alterâ, quia est alteri de-  
 „bita, ut notat Leuren. *in Foro Benef. P. 3.*  
*Q. 416. n. 3.* Et quamvis hodie Gratia ex-  
 „pectativæ à Papa omnino sublatae sint per  
 „Conc. Trid. *sess. 24. de Ref. c. 19.* Precistis  
 „tamen ab Imperatore concedi solent, qui-  
 „bus hæc applicari possunt, juxta dicta su-  
 „pra *Tit. 5. Append. 3. n. 8.*

6. III. In *Clement. h. t. c. un.* „ Ne con-  
 „cessione juris utentibus præsertim circa  
 „spiritualia illudatur, si quæ beneficia ex  
 „causa permutationis ab aliquibus re-  
 „signata, aliis quàm ipsis permutare vo-  
 „lentibus conferantur, nullius Pontifex  
 „hoc vult esse firmitatis. *An verò, dum per-  
 „mutans non potest obtinere alterum bene-  
 „ficio, possit sine nova collatione, & propria  
 „auctoritate ad suum beneficium ob permuta-*

*rationem alteri jam collatum redire?* Disputant DD. apud Schmaltzgr. *h.t.n.80.* Leur. *l.c. Q. 275.* Notat tamen Nicolarts *Tit. 1. Dub. 9. §. 18.* Si Petrus & Paulus permutent sua beneficia, & Paulus factâ resignatione ac collatione moriatur, antequam Petrus resignationem sui beneficii faciat, Petrus habebit utrumque, si sint compatibilia, potestque gaudere bonâ fortunâ.

## TITULUS XX.

*De Feudis.*

1. **Q**uid & quotuplex sit FEUDUM? Vide in Nucl. Theol. *Exam. 15. n. 9.* Materia Feudalis in Corpore Juris Civilis fusè pertractatur; in Jure Canonico breviter nempe duobus tantum Capitulis h. t.

2. C. 2. Specialiter decernit Pontifex:  
 „Cum contingit, Vasallum decedere, & ad  
 „Ecclesiam Feudum ipsius redire, potest  
 „Episcopus liberè, si viderit expedire, il-  
 „lud alteri concedere; deinde si contingat,  
 „Vasallum alienare Feudum, potest filium  
 „vel consanguineum alienantis investire.  
 „Denique si Feudum fuerit alienatum,  
 „quod ab Ecclesia facilè recuperari non  
 „potest, alicui laico poterit in Feudum  
 „licenter concedere, per quem Ecclesia  
 „valeat ipsum rehabere.

3. His

3. His adde generalem Feudorum Regulam: *Feudalis causa debet cognosci & ventilari coram Domino Feudi*, qui super hoc habet jurisdictionem ordinariam in causis Feudum concernentibus, siue fuerit Ecclesiasticus, siue sæcularis; & siue vassalli fuerint Ecclesiastici, siue laici, eaque causæ decidendæ sunt secundum Jus Civile, nam Canones illud quoad hoc imitari non dedignantur. Si lis sit inter Vassallum & Dominum Feudi, vel ad Pares seu Arbitros, vel ad ordinarium Conventum Judicem recurrendum.

## TITULUS XXI. &amp; XXII.

*De Pignoribus & aliis Cautiombus.  
Item de Fidejussoribus.*

De his vide Nucl. Theol. Exam. 15. 11. 12.  
His Titulis statuitur:

I. I. De PIGNORIBUS C. I. „ Nullus Clericus præsumat calicem, vel patenam, aut pallam altaris, vel vestimentum sacerdotale, aut librum Ecclesiæ cuiuslibet laico vel fœminæ in vadimonium dare, nisi justissimâ necessitate urgente. C. 5. „ Cùm mulieribus favor multus in recuperandis Dotibus debeatur, & cautum sit in jure, quòd propter delictum viri mulier remanere non debeat indotata,

„ac bona viri pro Dote ipsi tacite sint obli-  
 „gata, eaque cum onere transeant ad  
 „quemlibet possidentem, ex iis restitutio  
 „Dotis ipsi facienda, siue pervenerint ad  
 „Fiscum, siue ad alium Emptorem. C. 6.  
 „Fructus possessionum, pignoris titulo  
 „obligatarum, percepti in sortem debent  
 „computari; ac si tantum fuerit per-  
 „ceptum, quod forti possint adæquari, ex-  
 „tenuant penitus onus, & debitum an-  
 „nullant. Vide Nucl. Theol. *Exam. 35. n. 2.*  
 de contractu antichriseos.

2. C. 7. „Pactum *Legis Commissorie* in  
 „pignoribus est improbatum; i. e. pactum,  
 „ut intra certum tempus debito non soluto  
 „pignus pleno jure acquiratur creditori,  
 „quod tanquam usurarium reprobatur, eò  
 „quod pignus ordinariè plus valeat quàm  
 „ipsum debitum. Unde licet tale pactum  
 „admittatur in emptione, v. g. ut si emptor  
 „statuto tempore non solvat, & sic com-  
 „mittat in legem, contractus sit nullus,  
 „quia per hoc præservatur jus venditoris  
 „citra specialem læsionem emptoris; non  
 „tamen in pignoribus. Verùm si debitor  
 „monitus pignus reluere neglexerit, cre-  
 „ditor pignus distrahere poterit, de pretio  
 „sibi satisfacere, ac si quid residuum, de-  
 „bitori fideliter tradere.

3. C. 8. „Succedens quoad usumfructum

„ in

„in bonis, compellendus ad cautionem  
 „idoneam exhibendam, quod utatur &  
 „fruatur, salvâ rerum substantiâ, rebus  
 „immobilibus, quæ usu non consumun-  
 „tur, ad arbitrium boni viri; pecuniam  
 „verò & bona, quæ consumuntur usu, ac  
 „in hæreditate inventa fuerint, juxta æsti-  
 „mationem in morte sua restituat illi, ad  
 „quem pertinet proprietas.

4. II. DE FIDEJUSSORIBUS *b. Tit. c. 1.*  
 statuitur: „Clericus Fidejussionibus in-  
 „serviens abjiciatur, i. e. deponatur, si  
 „lucro inhians assidue se fidejussionibus  
 „implicet, & consequenter variis curis ac  
 „litibus. Per quod tamen ipsi non inhibe-  
 „tur, in uno vel altero casu pro miserabili  
 „persona, consanguineo vel amico fideju-  
 „bere, aut pro alio Clerico vel sua Eccle-  
 „sia; licet creditor invitus cogi non possit  
 „ad acceptandum Clericum pro fidejusso-  
 „re, propter difficiliorem conventionem  
 „ob privilegium fori. *C. 2.* „Cum Cleri-  
 „cus R. pro Clericis C. & T. fidejussisset,  
 „iisque non solventibus coactus esset sa-  
 „tisfacere; ne is dispendium patiatur,  
 „unde videtur præmium meruisse, man-  
 „dat Pontifex suis Delegatis, ut si pecu-  
 „niam solutam non restituant, de eorum  
 „redditibus solvi faciant, vel Procuratori  
 „dicti R. prædictos redditus assignent  
 „, rata

„tam diu sine molestia detinendos, donec  
 „damna resarcita fuerint, & debita sine  
 „diminutione soluta. Unde pro solvendis  
 Clerici debitis etiam fructus beneficii  
 assignari possunt.

5. C. 4. „Nullus Religiosus absque  
 „majoris partis Capituli & Abbatis sui  
 „licentia pro alio fidejubeat, vel ab aliquo  
 „pecuniam mutuam accipiat ultra sum-  
 „mam communi providentiâ constitu-  
 „tam, alioquin non teneatur Conventus  
 „pro his aliquatenus respondere, nisi for-  
 „te in utilitatem domûs ipsius manifestè  
 „constiterit redundâsse. Et C. 5. Eum, pro  
 „quo te fidejussorem obligâsti, si diu in  
 „debiti solutione cessavit, aut dissipare  
 „bona cœpit, seu super hoc condemnatus  
 „fueris, jure poteris convenire, ut te à fide-  
 „jussione debeat liberare. Hæc per se  
 „clara sunt, nec expositione indigent.

6. Adde ex Jure Civili, per *Senatus-  
 Consultum Vellejanum* mulieribus indul-  
 tum esse, ut, si pro alio fidejusserint, vel  
 etiam intercesserint, quovis modo alterius  
 obligationem in se recipiendo, ipsis com-  
 petat contra Creditorem *Exceptio*; ac si  
 solverint, *Soluti Condictio*, estò fidejusse-  
 rint pro patre, marito aut prolibus; per  
 quod jura volunt consulere imbecillitati  
 ac imprudentiæ mulierum facile inducen-

434 LIBER III. TITULUS XXI. & XXII.  
darum ad aliquid sibi nocivum facien-  
dum. Dantur tamen casus, quibus mu-  
lier auxilio S.C. Vellejani non gaudet, v.g.  
si pro sua fidejussione acceperit pretium  
notabile; si major 25 annis, post primam  
intercessionem elapso integro biennio, se-  
rursus obstringat; si animo decipiendi  
intercedat, sciens se non teneri efficaciter  
deceptis enim, non decipientibus jura opo-  
tulantur; si juramento confirmet fidejussio-  
nem, ex C. 28. L. 2. T. 24. n. 4. Imò si ex-  
pressè ac in specie huic suo privilegio S.C.  
Vellejani, postquam de illo certiorata  
& debite informata fuerit, renuntiat, tenetur  
stare fidejussioni; quia cum sit intro-  
ductum principaliter in favorem mulie-  
rum & secundario in favorem publicum,  
huic suo favori renuntiare valent; aliter  
nequidem renuntiatio jurata, uti de pri-  
vilegio Clerici, non subsisteret, quod ne-  
mo dixerit. N. D. *Quæ contra jus sumi  
debent utique pro infectis haberi.* Nam  
intelligitur de jure irritante, non prohibe-  
nte; cum multa fieri prohibeantur, quæ  
tamen facta tenent. Nihilominus mulier  
majorennis pro libitu sine alterius, etiam  
mariti consensu res suas, quarum liberam  
habet administrationem, donare, vendere,  
oppignorare, vel alio quovis modo alie-  
nare potest; nam S.C. Vellejanum obli-  
gata

gatae mulieri succurrere voluit, non donanti; quia facilius se mulier obligat, quam alicui donat, ob innatam tenacitatem & avaritiam, ait J. C. apud Engel *h. t. n. 8.* Vide Nucl. Theol. *Exam. 8. n. 5. §. 1.*

TITULUS XXIII. XXIV. & XXV.

*De Solutionibus, Donationibus, & Peculio Clericorum.*

**D**E SOLUTIONIBUS *h. t. c. 1.* statuitur:  
„Sicut filius debita Patris, ita Prælati sui Prædecessoris pro necessitate contracta tenetur persolvere.  
Et C. 2. Firmiter inhibetur, ne quis præsumat, Ecclesiam sibi commissam pro alienis gravare debitis aut obligari; si secus fuerit attentatum, ad solutionem talium debitorum Ecclesiae non teneantur. Unde quamvis hæres teneatur solvere omnia debita defuncti qualitercunque contracta, quia universum jus à defuncto consequitur, cujus personam representat; successor tamen in beneficio non tenetur, nisi ad illa, quæ sunt contracta pro Ecclesiae necessitate, (estò in eius utilitatem re ipsa non fuissent versa) quia ab ea beneficium accepit. Ita Wagn. *ad c. 1. h. t.*

2. C. 3. „Odoardus Clericus ob inopiam

Et 2

„de-

436 LIBER III. TIT. XXIII. XXIV. & XXV.  
„debita solvere non valens & ideo ex-  
„communicatus, jubetur, si non possit, in  
„totum vel pro parte debita solvere, à sen-  
„tentiâ ipsa absolvi, receptâ prius ab eo  
„idoneâ cautione, (saltem juratoriâ, si ali-  
„ter non possit) ut, si ad pinguiorem for-  
„tunam devenerit, debita persolvat. Unde  
Clericus debitor, si non sit solvendo, bonis  
cedere non tenetur, nec excommunicari  
aut aliter molestari potest, v.g. privatione  
beneficii, ita ut non remaneat ipsi congrua  
sustentatio; cui privilegio, cum sit con-  
cessum Ordini Clericali, ne in ejus oppro-  
brium cogatur mendicare, Clericus re-  
nuntiare non potest; quod tamen in variis  
casibus apud *Reiffenst. b. t.* limitatur.

3. C. 4. „Is, qui conqueritur indebi-  
„tam pecuniam se solvisse, probare tene-  
„tur, quòd indebitè sit soluta; nisi ejus  
„adversarius solutionem inficiens exinde  
„convincatur, tunc enim diffidenti in-  
„cumbit onus probandi, quod tanquam  
„debitum receperit. Ratio, quia contra  
mendacem facilè præsumi potest, ut ait  
*Wagn. ad b. c.*

Solet à Canonistis h. t. agi de Mutuo,  
occulta Compensatione, quo loco & tem-  
pore fieri debeat solutio, ac de ordine  
Creditorum, de quibus vide tradita in  
Nucl. Theol. *Exam.* 10. II. & 15.

4. II. DE DONATIONIBUS *b. t. c. 1.* de-  
 cernitur: „ Hanc sibi quodammodo No-  
 bilitas legem imponit, ut debere se, quod  
 spontè tribuit, æstimet; & nisi in bene-  
 ficiis suis creverit, nihil præstitisse se re-  
 putet. C. 2. Cùm Episcopus & quilibet  
 Prælatus rerum Ecclesiasticarum sit  
 Procurator, non Dominus, conditio-  
 nem Ecclesiæ meliorare potest, facere  
 verò deteriore non debet. Unde si fe-  
 cit graves donationes in detrimentum  
 Ecclesiæ, Canonicis suis inconsultis, quia  
 donationes hujusmodi de jure non te-  
 nent, eas tam à Clericis quàm laicis licet  
 legitimè revocare. C. 3. Si Abbas solus  
 vel cum Priore & quibusdam de Con-  
 ventu donationem facere contigerit,  
 & pars Conventûs postea reclamaverit,  
 datæ rei quantitas & illius terræ con-  
 suetudo, quæ tamen sacris Canonibus  
 manifestè non obviet, est attendenda,  
 & secundùm hoc donum ratum vel irri-  
 tum judicandum.

5. C. 5. „ Cùm Episcopus F. de mandato  
 Papæ quatuor modios terræ certis No-  
 bilibus in Feudum concessit, quia au-  
 tem in assignata terra non nisi duos mo-  
 dios invenerunt, Pontifex rescripsit suc-  
 cessori: Quia Ecclesiam in actibus suis  
 fraudem vel dolum non decet aliquem

„adhibere, Feudum ipsum secure possit  
 „eisdem integrare. Et C. 6. Cùm V. qua-  
 „dam terras assignaverat Monasterio, &  
 „in eodem Instrumento alias possessiones  
 „donasset sub hac conditione, ut filio suo  
 „quotannis præstaret certam pensionem,  
 „& cessante Monasterio in solutione filius  
 „eas possessiones revocaret, & ex eis syl-  
 „vam faceret; & quia solutio cessabat,  
 „filius omnes terras revocare nitebatur.  
 „Ast Pontifex decernit: Cùm ex tenore  
 „Instrumenti evidenter appareat, quod  
 „hæc fuit mens & intentio Donatoris, ut  
 „clausula *De Foresta* (i. e. saltu ad vena-  
 „tionem aucupiumque aptato) quæ in  
 „fine ponitur Instrumenti, non ad supe-  
 „riorem Donationem, quæ libera & pura  
 „fuit, sed ad inferiorem concessionem,  
 „quæ pensionem & determinationem  
 „habet insertam, juxta sanum referri de-  
 „beat intellectum; quia in contractibus  
 „plena, in testamentis plenior, in bene-  
 „ficiis quoque plenissima est interpretatio  
 „adhibenda; Præsertim factis à Principe  
 „ad causam piam, quamvis aliàs donatio  
 „sit strictè interpretanda pro donante, quia  
 „nemo præsumitur jus suum jactare.

6. C. 9. „Licet sit in Canone diffinitum,  
 „ut, si Episcopus in sua Diocesi Monaste-  
 „rium construere voluerit, & de rebus

Ecclesiæ, cui præsidet, ipse ditare, non  
 amplius ibidem quàm quinquagesi-  
 mam; Ecclesiæ verò, quam Monasticis  
 Regulis informare vel pro suis magni-  
 ficare voluerit sepulturis, non amplius  
 quàm centesimam partem censûs Ec-  
 clesiæ, cui præest, debeat elargiri; in eo  
 tamen hæc temperamenti æquitas ob-  
 servanda, quod, cui tribuit, competens  
 subsidium conferat; & cui tollit, gravia  
 damna non infligat; aliàs in quantalibet  
 portione sit collatum, poterit legitime  
 revocari. Et C. 10. Propter ingrattitudi-  
 nem Donatarii potest Donator de jure  
 revocare Donationem, si fortè in ipsum  
 impias manus injecerit, aut ipsi atroces  
 & puras injurias seu grave rerum suarum dam-  
 num vel vitæ periculum inferre præ-  
 sumpserit; quod tamen ad Donatoris,  
 qui hoc tacuit, non extenditur successo-  
 res. Vide Nucl. Theol. Exam. 14. n. 2.

7. III. DE PECULIO CLERICORUM *h. t.*  
 per totum decernitur, ut acquisita, sive  
 mobilia, sive immobilia, ex redditibus  
 Ecclesiasticis à Clerico, post obitum illius  
 sint Ecclesiæ propriæ relinquenda. Ve-  
 rum quia varii Pontifices apud Pichl.  
*Decis. 98.* concesserunt Clericis Romanis  
 privilegium, ut de omnibus, etiam ex  
 redditibus beneficiorum acquisitis, cujus-

cunque quantitatis aut valoris existant, donare, testamento aliâve ultimâ voluntate in favorem consanguineorum vel aliorum disponere licitè valeant; quòdque si ab intestato decesserint, ea bona ad ipsorum agnatos vel alios, qui eis de jure succedere deberent, liberè devolvantur. Et INNOC. XII. anno 1691. JOBOCO EDMUNDO Episcopo Hildesienfi simile privilegium de bonis prospectu Ecclesiæ quæ sitis tam ad causas profanas quàm pias testandi concessit; hinc *l.c.* censet *Pichler*, juri scripto de Clericorum peculio Ecclesiæ relinquendo posse per consuetudinem contrariam derogari, ac in variis locis videtur derogatum, dum obtentâ facultate testandi & nominatis Executoribus bona relicta Clericorum obveniunt consanguineis ab intestato; quia quidquid est obtinibile per privilegium Pontificis, per se quoque obtinibile est per consuetudinem saltem immemorabilem. Vid. *Nuc. Theol. Exam. 8. n. 5. §. 4.*

## TITULUS XXVI.

*De Testamentis & ultimis Voluntatibus.*

**D**e his actum est in *Nucl. Theol. Exam. 14. n. 4.* quibus addenda sequentia Capitula h. t.

1. I. *In Decret. c. 3.* „Secundum piissimas leges dilatae defunctorum piaer voluntates Episcopali suppleantur studio. Circa quod notant DD. Si haeredes vel Executores infra sex menses utiles a die aditae haereditatis (nisi aliter Testator disposuerit) negligant solvere legata pia, cogendi sint ab Episcopo, ut postea solvant cum omni emolumento inde percepto & interesse.

2. C. 5. „Jure Civili haeres ad solvendum cogitur, si Testator aliena legaverit; sed injustum videtur, ut Ecclesia legataria detineat aliena, & restituere non debeat. Ob quod putat *Wagn.* quamvis, si quis scienter leget alienum, haeres obligetur ad rem illam, si sit sub commercio humano, redemptam Legatario probanti scientiam legantis tradere, vel aestimationem ejus solvere; si vero ignoranter legaverit, putans esse rem suam, legatum censeatur esse irritum, nisi esset factum personae consanguineae; ast si Ecclesiae scienter legatum sit alienum, juxta varios DD. ad *b. C.* ex benignitate Canonica haeredes non esse cogendos ad solvendam aestimationem illius, ne Ecclesia videatur bonis temporalibus inhiare.

3. C. II. „Mandat Pontifex, causam super relictis Ecclesiae non secundum leges

„requirentes septem vel quinque testium  
 „interventionem, sed secundum Decre-  
 „torum Statuta tractari, tribus aut duo-  
 „bus testibus legitimis requisitis, quia  
 „scriptum est: *In ore duorum vel trium  
 testium stat omne verbum.* Ex quo infert  
 communis TT. & Canonistarum, teste  
 Lacr. L. 3. p. 2. n. 1130. Testamentum aliã  
 ve dispositionem ad pias causas valere,  
 modò constet de voluntate Testatoris,  
 v. g. si scripserit aut subscripserit cum  
 Consule & die, estò sine ullo teste aut juris  
 solemnitatibus; item si hæres ab eo im-  
 mediatè audièrit, teneri pro foro interno  
 legata solvere; *Cùm non sit ad externam  
 fidem decurrendum, quàm si aliter non  
 possit haberi veritas,* ait Imp. L. Fin. C. de  
 fid. com. Quamvis non teneatur credere  
 uni testi etiam jurato; secus, si probetur  
 voluntas defuncti per duos tantum testes  
 fide dignos, qui in foro externo pro causa  
 pia plenè probant.

4. C. 13. „ Qui ultimam suam volunta-  
 „tem alterius dispositioni committit, nihil  
 „per se penitus ordinans vel determinans,  
 „non videtur decedere intestatus. Circa  
 quod sunt variæ DD. interpretationes  
 apud Gonzal. b. c. Aliqui censent, tale  
 testamentum aliàs à Jure Civili reproba-  
 tum ideo valere, quia testator committen-  
 da

do voluntatem suam alienæ dispositioni tacitè intelligitur, quòd eum instituerit hæredem, ut bona sua inter pauperes aut pios usus convertat, quia quivis præsumitur voluisse animæ suæ meliori modo consulere. *Gonz. l.c.* ait: *INNOCENTIUM h.c.* non affirmare, testatoris voluntatem alterius voluntati committi posse contra jura, q. d. *Instituo hæredem, quem Titius voluerit*; posse tamen committi alterius dispositioni seu ordinationi, q. d. *Volo, ut Titius nomine meo testetur*; vel: *Quod disposuerit Titius, ut Testamentum meum observari volo*; quam dispositionem tum ad causas profanas, tum ad pias valere, notum est, ait *Gonz.* Vide *Pirrh. b.t. n. 23.* *Reiffenst. n. 435. &c.*

5. C. 18. „Filius hæres à Patre institutus „hoc modo, ut patruis suis hæreditatem „restitueret, si absque filiis masculis moreretur, habet in bonis Patris legitimam „seu tertiam partem debitam jure naturæ, in qua gravari nequivit; nec non „quartam Trebellianicam, quam quilibet „extraneus restitutione gravatus deducere potest; propter quod valet tertiam „& quartam præfatas in ultima voluntate legare, licet ipsas non exprimat in legando.

6. II. In 6. *b. t. c. j.* decernitur: „Si Pater „filium

„ filium & filiam habens impuberes, filiam  
 „ in re certa, filium verò in cæteris bo-  
 „ nis instituit hæredem, & uxori aliqua  
 „ legavit, hanc conditionem adjiciens:  
 „ *Ut si filia decederet sine liberis, filio; si*  
 „ *filius absque liberis obiret, filia; si utrum-*  
 „ *que sine liberis decedere contingeret, pau-*  
 „ *peribus hæreditas obveniret,* tunc pro-  
 „ libus defunctis ante tempora puber-  
 „ tatis absque deductione Trebellianicæ  
 „ & legitimæ omnia bona pauperibus  
 „ deferuntur, & matri superstiti nihil ex  
 „ iis debetur; prædictæ namque substi-  
 „ tutiones intelliguntur esse pupillares,  
 „ quia substitutiones ita semper sunt in-  
 „ terpretandæ, (dummodo verbis & per-  
 „ sonis institutis id conveniat) ut substi-  
 „ tutio directâ potius intelligatur quàm  
 „ obliqua, quanquàm directâ interdum  
 „ ad Fideicommissum ex causa trahatur.  
 „ Licet autem proles matrem Testamen-  
 „ to portione legitimâ privare non possit,  
 „ pater tamen potuit in testamento, quod  
 „ proli impuberi fecit.

7. Pro hujus intelligentia observa, sub-  
 stitutionem hæredis instituti aliam esse  
 DIRECTAM, quæ fit verbis immediatè ad  
 substitutum directis à Testatore, èstque  
 vel *Vulgaris*, ut si dicat: *Cajus hæres meus*  
*esto; si is non potuerit vel noluerit, Seju-*  
ellus

esto, quæ per aditionem hæreditatis à Cajo factam expirat; vel *Pupillaris*, ut si pater dicat: *Filius meus impubes hæres meus esto; si intra ætatem pupillarem decesserit, Mævius esto, vel pauperes hæredes sunt*, quo adveniente pubertate evanescit. Aliam *OBLIQUAM* seu *Pre- cariam*, quæ fit verbis ad hæredem institutum directis, cujus fidei committit, ut hæreditatem (quæ ideo dicitur fideicommissaria) tradat alteri, casu quo sine liberis decedat, v. g. si dixerit: *Titius sit meus hæres, quem rogo*, (quod idem hîc est ac *mando*) *ut quando morietur, rem Cajo restituat*. Differunt hæ duæ substitutiones, quia directè substitutus accipit hæreditatem, si primò institutus eam non obtineat, directè à Testatore, idque sine diminutione; econtra indirectè substitutus seu fideicommissarius eam accipit directè ab hærede fiduciario, ut si hic eam non obtineat, v. g. si moriatur ante Testatorem, indirectè substitutus nullum jus habeat; aut si eam à Fiduciario obtineat, quartam partem juxta *L. Trebellianicam* amittat. Semper autem substitutionem ita esse intelligendam, ut directa potiùs quàm obliqua censeatur, si persona ferant & verba, ait Pontifex l. c. Imò effectus substitutionis directæ

sæpe ad Fideicommissum trahuntur, ut non sit locus deductioni Trebellianicæ, v. g. in Fideicommisso Familiæ, aut universali ad pias causas; item si Testator eam prohibeat &c. apud Leur. *h. t. Q. 691.*

8. Præterea in 6. *h. t. c. 2.* ait Pontifex: „Religiosus executor testamenti deputatus, non potest (cùm velle & nolle non habeat) hujusmodi officium suscipere, nisi à Superiore petitâ super hoc licentiâ & obtentâ. Ast FF. Minores vi suæ professionis executores esse non possunt; licet possint assumi in consultores Executoris, vel Electores, v. g. si Testator dicat: *Petrus executor mei testamenti nihil faciat, nisi de vel cum consilio Titii Minoris; aut Ille sit Executor mei Testamenti, quem Titius Minor nominaverit.* Ita Kerckhove in *stat. c. 5. §. 9. n. 6.*

9. III. In Clement. *h. t. c. un.* statuit „Pontifex, ut Religiosi etiam exempti ad executionem cujuslibet ultimæ voluntatis deputati, etii Prælationis officio fungantur, locorum Ordinariis debitam de susceptæ executionis officio teneantur reddere rationem, quocunque non obstante privilegio.

10. Pro fine nota, omne Testamentum semper posse mutari, cassari ac revocari, vel contrario factò, v. g. Cancellatione,  
sub-

subtractione materiæ per donationem omnium bonorum reservato, usufructu &c. vel formatione novi validi, estò sit reciprocum in eadem charta conscriptum, etiam invitâ alterâ parte; quia, ut ait Sanch. *Conf. Mor. L. 4. c. 1. Dub. 7.* Nullâ ratione potest inveniri via, ut Testamenta fiant irrevocabilia. Unde nec pactum non revocandi aliquid efficit, quamvis juratum, quia tunc non quidem licitè, atamen validè revocatur per posterius, quia de Testamenti natura est, esse usque ad mortem revocabile; juramentum autem naturam actûs non mutat. Si tamen tunc una pars suum clandestinè revocâisset, etiam compars suum tacitè revocâsse censetur. Ita *Reiffenst. h. t. n. 381.*

## TITULUS XXVII.

### *De Successionibus ab Intestato.*

**I**NTESTATUS dicitur, qui vel omnino testamentum non fecit, vel non validè fecit; aut id, quod fecit, ruptum irritumque factum est; aut si ex eo nemo hæres extiterit. *Instit. de Hæred. quæ ab Intest.* Unde tali succedentes in bonis, vocantur hæres *ab Intestato*; qui hoc ordine succedunt: 1. Legitimi descendentes. 2. His deficientibus succedunt ascendentes proximi

mi

mi unà cum fratribus & sororibus germanis, i. e. ab utroque parente conjunctis, imò si defunctus patrem, & ex altero fratre mortuo filios reliquerit, hi jure repræsentationis unà cum patre succedunt.

3. Proximi consanguinei collaterales, ita ut fratres germani excludant uterinos, quia duplex vinculum plus ligat quam simplex. Si omnes germani vivant, omnes æqualiter succedunt in capita; si aliqui vivant, aliqui mortui relictis post se liberis, hi jure repræsentationis veniunt in stirpes, tantum omnes simul capientes quantum eorum parens, si viveret, accepisset.

4. Si præmortuis omnibus fratribus & sororibus germanis extent eorum liberi, hi omnes succedunt in capita, non in stirpes, quia tunc non jure repræsentationis, sed proprio conjunctionis gradu seu ex propria persona hæreditatem captant. Verùm si tunc adhuc extent defuncti fratres vel sorores unilaterales, tali casu liberi fratrum germanorum jure repræsentationis succedent in stirpes; si enim tunc fictione juris non repræsentarent parentem defunctum, non possent fratrem defuncti unilateralem, utpote uno gradu propinquiorem, excludere, prout tamen de jure faciunt.

5. Deficientibus ascendentibus & germanis eorum-  
que

que liberis succedunt fratres unilaterales, seu ex uno parente conjuncti eorūque liberi modo dicto, & quidem sine ulla differentia bonorum, an à patre vel à matre obrigerint defuncto, ut docet communior contra nonnullos, censentes bona materna devolvi ad fratres uterinos, paterna ad fratres consanguineos, seu à solo patre conjunctos. 6. Deficientibus parentibus ascendentibus defuncti ac ejus fratribus & sororibus tum germanis, tum unilaterialibus eorūque liberis succedunt ab intestato consanguinei collaterales gradu propinquiores, exclusis remotioribus, non in stirpes, sed in capita, nullo habito discrimine agnationis & cognationis, seu nullâ observatâ duplicitate, i. e. sive utrūm ex utroque, an ex uno tantum latere se attineant, quia post fratres eorūque liberos in primo gradu neque duplicitas vinculi, neque jus repræsentationis ampliùs attenditur. 7. Deficientibus prorsus consanguineis, vir succedit uxori & uxor viro, nisi per pacta dotalia aut consuetudinem in variis locis, ubi inter ipsos viget communio bonorum, comparte sine prole decedente, hujus bona exclusis consanguineis ad superstitem devolvantur. Denique si laicus, v. g. peregrinus, nullos habens consanguineos

Et

saltem

saltem reperibiles, intestatus moriatur, succedit Fiscus Principis, vel Civitas, vel pauperes loci, juxta morem patriæ. Ita Civilistæ & Canonistæ passim apud *Reif- fenst. h.t.* Vide *Nucl. Theol. Exam. 14. n. 4.*  
 §. *Dixi*: ubi traditur, an & quomodo succedant illegitimi? Circa successionem ab intestato respectu Clerici statuitur h. t.

2. In *Decret. c. 1.* „ Clericis, si per hære-  
 „ ditatem vel alio modo intuitu persona  
 „ aliquid acquisierint, donare eis liceat  
 „ cui voluerint, dum vivunt; sin autem  
 „ antea obiêrint, quàm hoc fecerint, omnia  
 „ in jus Ecclesiæ tradantur. Putà, si non  
 „ habeant consanguineos; quia juxta Gl.  
 „ teste *Wagn.* tunc illi, & non Ecclesia in  
 „ talia bona succedunt; secus est de bonis  
 „ Ecclesiasticis. Et *C. 3.* „ Cum Archi-Pres-  
 „ byter A. se & sua obtulisset Monasterio B.  
 „ in præsentia unius testis, & cum ager-  
 „ corpore requisitus, ut conderet testa-  
 „ mentum, respondit, se non posse testari  
 „ quia se & sua contulisset Monasterio  
 „ quod alii testes in præsentia Abbatis  
 „ illum audiverunt confitentem, non qui-  
 „ dem tanquam sufficienter probantes,  
 „ sed vehementer adminiculantes; econ-  
 „ tra Episcopus assererat, se velle probare,  
 „ dictum A. mentis compotem non fuisse.  
 „ cum ultimam voluntatem expressit; quia

„cū tunc interrogatus fuisset à Mona-  
 „chis: Visne habitum suscipere Mona-  
 „chalem? Responderit: Volo; statim in-  
 „terrogatus ab alio: Visne esse asinus?  
 „Responderit similiter: Volo. Mandat  
 „Pontifex, nisi hoc Episcopus legitimè  
 „probârit, ei silentium imponendum;  
 „si verò id legitimè probârit, bonorum  
 „restitutionem Ecclesiæ, cuius A. admi-  
 „nistrationem gesserat, esse faciendam,  
 „cū tunc ab intestato decesserit. Unde  
 „licet unus testis etiam in causa pia non ple-  
 „nè probet, plures tamen testes in causa  
 „connexa, quamvis de diverso actu, vehe-  
 „menter adminiculantur, ut tunc non juvet  
 „amentia exceptio, nisi plenè probata.

## TITULUS XXVIII.

*De Sepulturis.*

1. I. In *Decret. b. t. c. 1.* statuitur: „Unus-  
 „quisque in Majorum suorum se-  
 „pulchris jaceat; nulli tamen negatur  
 „propriam eligere sepulturam, & etiam  
 „alienam. Idem decernitur C. 2. 3. & 4. in  
 „quo additur: „Si tamen elegerint sepul-  
 „turam alienam, Ecclesiæ, à qua rece-  
 „perunt salutis pabula, Canonica debeat  
 „portio exhiberi, i. e. quarta pars funera-  
 „lium, quæ juxta Canones est debita Paro-

cho defuncti exiis, quæ ratione funeris de  
 candelis, panno feretri &c. obveniunt Ec-  
 clesiæ alienæ. C. 5. & 6. mandat Pontifex:  
 „ Ut corpora & ossa eorum, qui in ultima  
 „ voluntate sibi sepulturam elegerunt, alibi  
 „ sepulta restituantur; uti & beneficia, quæ  
 „ occasione sepulturæ ipsorum Ecclesia  
 „ receperit. C. 7. Quemadmodum vir  
 „ ita & uxor liberam habere debet sepul-  
 „ turam.

2. C. 12. „ Sacris est Canonibus insti-  
 „ tutum, ut quibus non communicavimus  
 „ vivis, non communicemus defunctis  
 „ & ut careant Ecclesiasticâ sepulturâ, qui  
 „ prius erant ab Ecclesiastica unitate præ-  
 „ cisi, nec in articulo mortis Ecclesiæ re-  
 „ conciliati fuerint. Unde si contingat,  
 „ excommunicatorum corpora per vio-  
 „ lentiam aliòve casu tumulari, si ab alio-  
 „ rum corporibus discerni poterunt, ex-  
 „ humari debent, & procul ab Ecclesiastica  
 „ sepultura jactari; secus, si discerni non  
 „ possint. At hoc intelligendum de ex-  
 „ communicato non tolerato, non verò de  
 „ tolerato; quia in Germania, ubi Catholici  
 „ hæreticis immixti vivunt, licitè sine ca-  
 „ remoniis Ecclesiasticis hæretici in cœmi-  
 „ teriis vel Ecclesiis ex consuetudine & con-  
 „ niventia Ecclesiæ sepeliuntur, ut docet  
*Picbl. Decis. 101.*

3. C. 13. „ Abominabilis corruptelæ vi-  
 „ tium dicitur, si Clerici pro terra, in qua  
 „ decedentes sepeliendi sunt, certum pre-  
 „ tium præsumant exigere. Ex consue-  
 „ tudine tamen aliquid exigi potest, non  
 „ præcisè pro sepultura seu loco sacro, sed  
 „ pro conservatione Ecclesiæ, sustentatione  
 „ Parochi, aut honoratori situ v. g. in Ec-  
 „ clesia vel sacello, aut obligatione Ecclesiæ,  
 „ quòd nullum alium velit recipere ad lo-  
 „ cum electæ sepulturæ, quàm eligentis fa-  
 „ miliam, quod est quid profanum pretio  
 „ æstimabile, sicut in simili, si pro pretio  
 „ concedatur laico honoratior locus seu  
 „ Banchus in Ecclesia, ita Reiffenst. *b. t.*  
 „ 11. 68. Engel *11. 15.* ubi tamen monet, nullo  
 „ modo esse licitum Parochis, aliàs per Or-  
 „ dinarios castigandis, juxta *Decret. S. Con-*  
 „ *greg.* propter exactionem pecuniariam  
 „ seu mortuaria non soluta defunctorum ca-  
 „ davera relinquere inhumata; licèt postea  
 „ per Superiorem ad ea solvenda cogere  
 „ possit Parochianos seu hæredes defuncti.

4. II. *In 6. b. t.* decernuntur sequentia:  
 C. 1. „ Prohibet Pontifex universis Reli-  
 „ giosis & sæcularibus Clericis in virtute  
 „ S. Obedientiæ & sub maledictione æter-  
 „ na, ne aliquos ad vovendum, vel juran-  
 „ dum, vel aliàs ad promittendum irre-  
 „ vocabiliter inducant, ut apud eos sepul-

„ turam eligant, vel jam electam ulterius  
 „ non immutent; si secus actum fuerit,  
 „ electio decernitur irrita; Religiosi vero  
 „ & Clerici contravenientes tam ad rehti-  
 „ tutionem corporum, si petantur, quam  
 „ omnium, quæ occasione sepulturae ad  
 „ ipsos pervenerunt, intra decem dies sint  
 „ obligati, aliàs Ecclesia & cœmiterium  
 „ sint & maneat Ecclesiastico supposito  
 „ interdicto, donec plenariè restituerint.  
 C. 2. „ Canonica portio debetur Ecclesia  
 „ illi, in qua defunctus solebat Ecclesiasti-  
 „ ca suscipere Sacramenta; si verò habens  
 „ æqualiter domicilium in duobus locis,  
 „ in tertia eligat sepulturam, domicilio-  
 „ rum Ecclesiæ debent inter se dividere  
 „ Canonicam portionem.

5. C. 3. „ Mulier, quæ plures habuit  
 „ viros, si sepulturam non eligat, cum viro  
 „ ultimo, cujus domicilium retinet & ho-  
 „ norem, tumulanda est. C. 4. Licet pater  
 „ filios impuberes, qui nequeunt eligere  
 „ sepulchra, possit, ubi consuetudo fert,  
 „ quo voluerit loco, sepelire; ubi tamen  
 „ hæc consuetudo non est, sunt cum suis  
 „ Majoribus vel in Ecclesia Parochiali tu-  
 „ mulandi; Filius autem & Filia, quæ ex-  
 „ cessit pubertatem, quamvis possit eligere  
 „ sepulturam, sine patris tamen assensu pro  
 „ anima sua, nisi peculium Castrense vel  
 „ quali

quasi Castrense habeat, legare nihil potest. Vide *Nucl. Theol. Exam. 8. n. 5. §. 2. C. 5.* „Religiosi, nisi à propriis Monasteriis tam procul absint, ut ad ea commodè portari nequeant, cum velle & nolle non habeant, non possunt sibi eligere sepulturam, sed sunt apud sua Monasteria tumulandi. Hæc per se clara sunt.

6. III. *In Clement. b. t. c. 2.* „Clemens studio pacis firmandæ inter Rectores Ecclesiarum ex una, & FF. Prædicatores ac Minores ex altera parte statuit & ordinat, ut Fratres dictorum Ordinum omnes ad sepulturam recipere valeant, qui sepeliri elegerint in locis & Ecclesiis ipsorum, ita tamen, ut Parochis Canonice portionem integrè largiantur. Verum hodie per varia privilegia apud *Reifst. b. t. n. 55.* sunt exempti ab omni solutione portionis Canonice. Vide *L. 1. T. 35. n. 6.*

7. Hic tamen observandum, casu quo quis elegit sepulturam apud Regulares, juxta *Declarationes Card.* „Ipsos quidem invito Parocho posse associare corpus ad sepulturam, nullo modo autem ipsis licere Parochias cum Cruce processionaliter, aut aliàs ad efferenda vel levanda defunctorum funera intrare; vel illa levare aut efferre, nisi vocato & expecta-

„to proprio defuncti Parocho atque ibi-  
 „dem præfente; vel nisi requisitus diffen-  
 „tiat, aut venire expresse recuset. Neque  
 „cogi possunt, ut corpus ex ædibus prius  
 „ad Ecclesiam Parochialem deferatur,  
 „sed recto tramite, etiam invito Parocho,  
 „ad Ecclesiam Regularem deferendum.  
 „Neque hæredes cogi possunt, ut etiam in  
 „Parochiali exequias celebrari faciant.  
 Ita *Reiffenst. h. t. n. 34. & 35.* addens *n. 36.*  
 Potest tamen Parochus loci etiam cum  
 stola funus comitari usque ad Ecclesiam  
 Regularem, ac etiam illam intrare, ibique  
 permanere, nullo modo tamen se im-  
 miscere in actu sepulturæ. Imò *Leur. in*  
*Foro Benef. p. 1. Q. 453. n. 3.* censet, Paro-  
 chum posse per totam viam usque ad Ec-  
 clesiam sepulturæ peragere officium,  
 quamvis per aliarum Parochiarum fines  
 esset transeundum, quia ita dicitur con-  
 tinuare jus suum jam inceptum in suo  
 termino à quo, usque ad terminum ad  
 quem. In similibus tamen multum con-  
 suetudini deferendum ad obviandum  
 scandalosis controversiis inter Clericos  
 occasione electæ in aliena Ecclesia sepul-  
 turæ sæpius exortis.

8. Denique *Engel h. t. n. 7.* docet, pro-  
 bationem electionis sepulturæ, cum sit  
 quædam dispositio ad piam causam seu

in favorem animæ, non oportere esse exactam, sed probari posse per testes singulares; imò etiam unum concurrentibus adminiculis, & quidem per solum Confessarium, cui tanquam interpreti voluntatis defuncti sit fides adhibenda, eò quòd licet præjudicium Parochialis Ecclesiæ interveniat, id non videatur valde notabile. Vide *L. 2. T. 20. 11. 3.*

## TITULUS XXIX.

### *De Parochiis & alienis Parochianis.*

**P**AROCHIA seu Parœcia est certum territorium seu districtus, in quo degit populus alicui Ecclesiæ deputatus, ut ibi audiat Divina, recipiat Sacramenta aliâque spiritualia, certis limitibus auctoritate Episcopi determinatum, qui ut dicitur C. 4. „Si legitimâ probatione vel aliàs indubitata fide de iis constat fuisse legitimè statutos, præscribi nequeunt. Fideles intra talem districtum habentes domicilium vel quasi domicilium, vocantur PAROCHIANI; qui ipsis præest cum potestate administrandi Sacramenta & jurisdictione ordinaria in Foro Pœnitentia, dicitur PAROCHUS, Rector Ecclesiæ Parochialis,

Curatus à cura animarum, Plebanus à plebe seu populo.

2. Agitur à Canonistis h. t. de officio & potestate Parochi, de quibus fusè Barbosa. Item de juribus Parochialibus, ut jure funerandi, decimandi & cæteris, super quibus habet assistentiam juris, de quibus Leur. *in Foro Benef. p. 5. Q. 449. & seqq.* ac sparsim in Jure Canonico. Denique de Obligationibus Parochorum erga Parochianos, de quibus in Theologia Morali, signanter in Nucl. Theol. *Exam. 5. n. 13. §. 2. & Exam. 18. n. 5.*

3. Circa obligationes Parochianorum h. t. c. 2. statuitur: „Dominicis vel Festivis diebus Presbyteri ante Missam plebem interrogent, an adsit alienus Parochianus, qui contempto proprio Parocho ibi Missam velit audire; quem, si invenerint, statim ejiciant. Verùm hoc generali consuetudine sublatum est, ut hodie Episcopus hoc præceptum juris communis, juxta DD. apud Gonz. *ad h. c. n. 12.* suscitare nequeat, estò Trident. *sess. 24. de Ref. c. 4.* dicat: „Moneat Episcopus populum diligenter, teneri, *ex decencia,* unumquemque Parochiæ suæ interesse, ubi commodè id fieri potest, ad audiendum Verbum Dei. Saltem Parochiani tenentur proles suas proprio Parocho of-

ferre

DE DECIMIS, PRIMITIIS ET OBLATIONIBUS. 459  
ferre baptizandos; in Parochiali sumere  
Communionem Paschalem; coram pro-  
prio Parocho matrimonia contrahere &c.  
de quibus in *Nucl. Theol.* sparsim.

## TITULUS XXX.

### *De Decimis, Primitiis, & Obla- tionibus.*

I. DECIMÆ sunt pars decima fructuum ex  
prædiis, animalibus, molendinis,  
piscariis, fœno, lana, aliisque licitè acqui-  
sitis provenientium juxta consuetudinem  
locorum ministris Ecclesiæ in signum uni-  
versalis Domini Divini, juxta *C. 16. h. t.*  
persolvenda ex duplici obligatione, nem-  
pe Religionis & Justitiæ, idque ex jure  
tantum Ecclesiastico, ut habet commu-  
nior Recentiorum. *Nec obstat, quòd c. 14.*  
*h. t.* dicatur: „Decimæ non ab homine,  
„sed ab ipso Domino sunt institutæ. Et  
*c. 32.* „Decimæ debentur ex Lege Divina.  
Nam licet Decimæ materialiter & quoad  
substantiam sumptæ pro necessaria susten-  
tatione Ministrorum Ecclesiæ debeantur  
ex jure naturali & Divino; sumptæ tamen  
formaliter seu secundum determinatam  
quotam, nempe Decimam, quamvis ha-  
beant originem ex præcepto Divino, illud  
tamen non erat Morale, sed Judiciale vel  
Cœ-

Cæremoniale, adeoque in Novo Testamento abolitum; quod patet inde, quia ante Concilium Lateran. jus decimandi validè fuit translatum in laicos à Superiore Ecclesiastico; & post Concilium per privilegium Apostolicum in eos transferri potest; imò jus passivum seu obligatio solvendi Decimas præscribi potest, quæ fieri non possent, si Decimæ essent de Jure Divino, contra quod nulla valet consuetudo, privilegium aut præscriptio.

2. PRIMITIÆ sunt primi fructus terra vel pecorum, de quibus dicitur *h. t. c. l.*  
 „Decimam omnium frugum Leviticæ  
 „Tribui populus ex Lege debebat; Pri-  
 „mitiva verò, quæ de frugibus offere-  
 „bant, non erant speciali nomine diffinita,  
 „sed offerentium arbitrio derelicta. At  
 hodie nullo jure obligantur laici ad dan-  
 dum primitias Ministris Ecclesiæ.

3. OBLATIONES sunt res illæ, quæ à fidelibus in Altari sub Missa vel ad sacras imagines offeruntur; ad quas quidem nullo præcepto Parochiani obligantur, si tamen Parochus aliàs non haberet congruentem sustentationem, aut alicubi consuetudine inductum sit, ut v. g. diebus festis & Dominicis, aut certis festivitibus aliquid Parocho offeratur, Parochiani per Superiorem cogi possunt ad illam servan-  
 dam,

dam, præstandasque solitas oblationes. Quæ sponte offeruntur, de jure communi spectant ad Parochum, intra cujus districtum in Capellis vel ad sacras imagines sunt, (quia de jure communi super iis actionem suam habet fundatam) nisi alicubi sit alius usus, aut juxta arbitrium Ordinarii de contraria voluntate offerentium, quòd velint illas ad fabricam Ecclesiæ aut alios pios usus converti, conjecturaliter præsumatur; nam sicut legatum est persolvendum juxta mentem legantis, ita & Oblationes juxta mentem offerentis. Unde etiam Oblationes, quæ sub Primitiis fiunt à consanguineis vel amicis, vi consuetudinis & intentionis dantium ad Neo-Myrtam pertinere dignoscuntur. Præter ea, quæ de jure decimandi & Decimis sparsim in Jure Canonico tradita sunt, notanda sunt sequentia Capita h. t.

4. I. In *Decret. c. 2.*, „Novum genus exactionis est, ut Clerici à Clericis frugum Decimas vel animalium exigant; nusquam enim in Lege Domini Levitæ à Levitis Decimas accepisse vel extorsisse leguntur. Verùm hoc intelligitur, quòd clericus ex proventibus Ecclesiasticis aut Decimis pro sustentatione ipsi assignatis non teneatur solvere Decimas, ex quo ortum

vulgare dictum: *Clericus Clericum non decimat.* Ast si prædia Decimis obnoxia per hæreditatem, Fundationem beneficii, alióve modo ad Clericos pervenerint, ex iis Decimæ sunt persolvendæ; nisi per consuetudinem, præscriptionem vel privilegium ab hoc onere eximantur. Ratio, quia, cum onus Decimarum ipsis prædiis inhæreat, transit in quemcunque possessorem. *Nec obstat*, quod per mutationem personæ mutetur rei qualitas, adeoque exemptâ personâ res quoque videatur exempta. *Nam* id tantum procedit, quando qualitas inest rei propter personam, v. g. Jus Patronatûs laicale, si transeat in Ecclesiam; immunitas à gabellis respectu rerum ad Clericos spectantium &c. secus, si qualitas inhæreat rei ratione sui ipsius, ut onus Decimarum prædiis propter se ipsa, adeoque mutatione personæ non tollitur, ne per hoc Ecclesiæ suo jure fraudentur, ut expressè dicitur *c. 16. h. t.* Unde etiam *c. 34. h. t.* in Concilio Lateran. decernit INNOC. III. „ Ne occasione privi-  
 „ legiorum Regularium Ecclesiæ ulterius  
 „ prægraventur, ut de alienis terris & amo-  
 „ dō acquirendis, etsi eas propriis mani-  
 „ bus aut sumptibus excoluerint, Decimas  
 „ persolvant Ecclesiis, quibus ratione præ-  
 „ diorum antea solvebantur, nisi cum ipsis  
 „ Ec-

„Ecclesiis aliter duxerint componendum.  
Idem statuitur

5. II. In *6. h. t. c. 2.* „Religiosi etiam  
„exempti de possessionibus acquisitis  
„hactenus & amodò acquirendis Deci-  
„mas integrè solvant illis Ecclesiis, quibus  
„eàdem possessiones priùs fuerunt Deci-  
„males, nisi super hoc speciali jure (v.g.  
„compositione, præscriptione vel privi-  
„legio) sint muniti, & Episcopi ad requi-  
„sitionem Rectorum Parochialium super  
„Decimis, quas Religiosi habent, exhi-  
„beant justitiæ complementum. Unde in  
hoc speciali casu Exempti possunt con-  
veniri coram Ordinario. Verùm ex his  
per contrarium sensum infertur, quòd  
Regulares privilegiati neque ex prædiis  
acquisitis, è quibus antecederet nullæ  
Decimæ Ecclesiis solvebantur; neque de  
Novalibus, i. e. terris seu fundis suis de  
novo ad culturam per Regulares redactis,  
de quibus non extat memoria, quòd ali-  
quando culti fuerint, aut ex iis Ecclesia  
Decimas perceperit, teneantur Decimas  
solvere; quamvis laici per se ad eas ex  
novalibus obligentur.

6. III. In *Clement. h. t. c. 2.* „Si benefi-  
„ciorum Decimæ alicui à Papa (v.g. Regi  
ob necessitatem vel utilitatem publicam  
Ecclesiæ) conceduntur ad tempus, secun-  
„dum

„dum taxationem beneficiorum in illis  
 „locis consuetam & ad monetam curren-  
 „tem solvi & accipi debent. Ecclesiarum  
 „verò calices, libros, aliâque utensilia Di-  
 „vinis Officiis deputata Collectores &  
 „Subcollectores in pignus non recipiant  
 „aut distrahant.

7. IV. In *Extrav. comm. h. t. c. un.* sta-  
 „tuit Pontifex: „Moniales aliâque Regu-  
 „lares personæ, quarum redditus adeo  
 „sunt tenues, ut de illis sustentari non  
 „possint, sed pro habenda vitæ suæ susten-  
 „tatione mendicare debeant, Decimam  
 „non solvant. Verum tunc Ordinarius  
 „Rectori Ecclesiæ de congrua sustentatione  
 „providere debet, donec Moniales ad  
 „meliorem fortunam pervenientes, ipsi  
 „rursus Decimas solvere possint.

## TITULUS XXXI.

*De Regularibus & Transeuntibus  
 ad Religionem.*

I. **N**otum est, ad Essentiam Religionis  
 spectare tria vota substantialia: Pau-  
 pertatis, Castitatis & Obedientiæ, quarum  
 prima rebus, secunda carni, tertia menti  
 dominatur & animo, ait JOAN. XXII. *Ex-  
 trav. Quorundam de V. S.* Non verò re-  
 quiritur, ut ista vota sint solemnia, sed

suffi-

sufficiunt simplicia in sacro Coetu ab Ecclesia approbato, ut patet in Scholasticis S. J. Vide *Nucl. Theol. Exam. 16. n. 4. & Exam. 30. n. 4.*

2. Jure novo Trident. *sess. 25. de Regul. & Monial.* Varia circa Regulares statuuntur, inter cætera C. 11. „ In quacunque Religione tam virorum quam mulierum „ professio non fiat ante decimum sextum „ annum expletum; nec qui minore tempore quam per annum post susceptum habitum in probatione steterit, ad professionem admittatur. Professio autem „ antea facta sit nulla, nullamque inducat „ obligationem ad Regulæ vel Religionis „ observantiam aut ad alios quoscunque „ effectus. Unde per hoc corrigitur jus antiquum in *Decret. b. t. ubi c. 11. & 12.* „ Professio tempore pubertatis (i. e. post annum 14 in masculino & post 12 in foemella) „ facta, vel antea facta & post ratificata censetur firma. Item C. 16. Licet annus probationis sit indultus in favorem conversi & Monasterii, ut se mutuò valeant experiri; si tamen ante tempus probationis finitum professionem emittat, Abbate illum recipiente, uterque videtur favori suo renuntiare, ideòque obligatur ad observantiam Regularem, quia multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, roboris

Gg „ ob-

in illis  
curren-  
iarum  
lia Di-  
res &  
cipiant  
n. sta-  
Regu-  
adeo  
i non  
susten-  
imam  
narius  
tatio-  
les ad  
, ipsi  
I.  
ibus  
ionis  
Pau-  
arum  
menti  
. Ex-  
ò re-  
, sed  
suffi-

„obtinent firmitatem. Verùm cum per privilegium Pii V. Bullâ: *Summi Sacerdotis*, Novitius vel Novitia in ætate legitima constituti, i. e. postquam annos discretionis seu pubertatis attigerint, quando iudicio Medici videntur discessuri, possint pro consolatione animæ ad consequendas Indulgentias, aliâsque gratias professorum ante completum Novitiatum facere professionem; ex hac tamen, si præter spem convalescant, non obligantur ad Regulam; neque si decedant, Monasterium bonorum capax, in bona decedentis succedit. Ita communior apud *Reiffenst. b. t. n. 183.*

3. Præterea *Trident. l. c. c. 16.* decernit „Nulla renuntiatio aut obligatio ante professionem, etiam cum juramento vel in favorem cujuscunque causæ piæ facta valeat, nisi cum licentia Ordinarii ante duos menses proximos ante professionem, neque aliâs effectum sortiatur, nisi secutâ professione; aliter verò facta, etiam cum hujus favoris expressa renuntiatione, etiam jurata, sit irrita & nullius effectûs, ne hâc occasione Novitius discedere nequeat, nec facillè, si discesserit, id recuperare possit. An verò valeant hujusmodi renuntiationes ante ingressum Religionis, sed intuitu illius factæ, v. g. re-

signatio beneficii & similes? Utrunque  
 disputatur teste *Reiffenst. h. t. n. 143.* saltem  
*c. 4. h. t. in 6.* statuitur: „Beneficium ingre-  
 „dientis Religionem non est infra annum  
 „probationis cuiquam alteri conferen-  
 „dum sine ipsius consensu; interim autem  
 „debebit eidem beneficio per alium deser-  
 „viri, assignatâ sibi congruâ de ipsius pro-  
 „ventibus portione. Denique certum est  
 valere testamentum ante ingressum vel  
 post contra formam à Trident. hîc præ-  
 scriptam factum; quia cum sit pro libitu  
 revocabile, non læditur libertas Novitii,  
 consequenter hîc non militat ratio De-  
 creti de renuntiationibus per se irrevoca-  
 bilibus.

4. Insuper *Trident. l. c. c. 19.* sancit: „Qui-  
 „cunque Regularis prætendens se per  
 „vim vel metum ingressum esse Religio-  
 „nem, aut etiam dicat, se ante ætatem de-  
 „bitam professum fuisse, aut quid simile,  
 „velitque habitum dimittere, non audia-  
 „tur, nisi intra quinquennium tantum  
 „à die professionis; & tunc non aliter, nisi  
 „causas, quas prætenderit, deduxerit co-  
 „ram Superiore suo & Ordinario. Quòd  
 „si antea habitum sponte dimiserit, nulla-  
 „tenus ad allegandam quamcunque cau-  
 „sam admittatur, sed ad Monasterium  
 „redire cogatur, & tanquam apostata pu-

„niatur. Verum elapso quinquennio  
 potest taliter professus à S. Congregat.  
 Trid. Interpretum vel negotiis Regul.  
 præposita petere restitutionem in inte-  
 grum, si intra quinquennium vel nulli-  
 tatem professionis suæ ignoravit, vel alias  
 à reclamando impeditus fuit, ut tradunt  
 DD. apud *Reiffenst. b. t. n. 204*. Imò si recla-  
 mans asserat, se fictè tantum consensisse,  
 habens pro se graves & violentas conje-  
 cturas fictionis ad semi-plenam probatio-  
 nem sufficientes, tali posse deferri jura-  
 mentum suppletorium, eoque præstito  
 declarari professionem nullam, docet  
 Pichler *Decis. 104*. Aut si certò sciat, se  
 fictè professum aut nulliter ob defectum  
 ætatis, & nunquam professionem tacite  
 vel expressè ratificaverit, potest per se  
 pro foro interno semper, etiam post de-  
 cennium, Religionem deserere.

5. Addit *Trid. cit. Cap.* „Nemo Re-  
 „gularis cujuscunque facultatis vigore  
 „transferatur ad laxiorem Religionem.  
 Per quod non corrigitur Jus antiquum  
*C. 18. b. t.* „Professus non ex temeritate vel  
 „levitate, sed verè melioris vitæ amore  
 „volens ad arctiorem Religionem trans-  
 „volare, postquam à Prælato suo trans-  
 „eundi licentiam postulavit, liberè potest  
 „sanctioris vitæ propositum adimplere.

„non obstante contradictione Prælati. Si  
 „verò probabiliter dubitetur, utrum quis  
 „velit ad Ordinem arctiorem, an laxio-  
 „rem ex charitate, an temeritate transire,  
 „Superioris iudicium est requirendum.  
 „Quam facultatem in *Extrav. Comm. b. t.*  
 „c. l. Pontifex limitat: „Nullus Religio-  
 „forum Ordinum Mendicantium præ-  
 „textu cujusvis licentiæ aut Indulti etiam  
 „Apostolici ad Ordinem non Mendican-  
 „tium (Ordine Carthusianorum dun-  
 „taxat excepto) transire audeat sub pœna  
 „Excommunicationis soli Pontifici re-  
 „servatæ, à receptis & recipientibus ipso  
 „facto incurrendæ. Imò nullus ex Ordi-  
 „nibus Mendicantium in ullum Monasti-  
 „cum Ordinem (Carthusianorum ex-  
 „cepto) recipiatur sine speciali licentia  
 „Sedis Apost. sub dictis pœnis; secus facta,  
 „ipso jure sint irrita. Verùm hodie omnes  
 „ferè Religiones, paucis exceptis, habent  
 „privilegia, vi quorum professi ad nullam  
 „aliam, etiam Carthusianorum, sine spe-  
 „ciali licentia Papæ transire possunt; sine  
 „qua tamen potest Generalis Societatis  
 „Jesu dare suis facultatem transeundi ad  
 „quemvis alium Ordinem, etiam laxio-  
 „rem, ut ait *Pirb. b. t. n. 173.*

☞ (†) ☞

Gg 3

TITU.

## TITULUS XXXII. &amp; XXXIII.

De Conversione Conjugatorum;  
Et de  
Conversione Infidelium.

**I. I.** Circa CONVERSIONEM CONJUGATORUM ad Religionem vel sacros Ordines statuitur *h. t. c. i.* „Si uxoratus „consummato matrimonio de licentia „uxoris in Monasterio professionem fecit, „nisi uxor ad Religionem transierit, aut „castitatem perpetuò servare promiserit, „vir debet & potest ab Episcopo de Mo- „nasterio ad thorum uxoris revocari.  
**C. 2.** „Verum post consensum legitimum „de præfenti, licitum est alteri, altero re- „pugnante, eligere Monasterium, dum- „modò inter eos carnalis commixtio non „intervenerit; & alteri remanenti licitum „est, ut ad secunda vota possit transire, „quia cum non sint una caro simul effecti, „satis potest unus ad DEUM transire, „& alter in sæculo remanere. Vide *Nock Theol. Exam. 28. n. 4.*

**2. C. 3.** „Invitâ uxore professus & co- „actus ad eam redire, illâ mortuâ, ratione „voti, quod non tenuit, non tenetur ad „Monasterium redire; non verò potest „uxorem accipere, promisit enim, se non

exigere, quod in potestate ejus erat, &  
 ideo tenuit votum; non reddere non erat  
 in ejus potestate, sed in potestate mulie-  
 ris. Ratio, quia talis creditur emisisse  
 votum simplex castitatis, & ideo quidem  
 validè, sed illicitè rursus contraheret,  
 juxta dicta in *Nucl. Theol. Exam. 29. n. 2.*

§ 3. Imò etiam licitè contrahere posset,  
 si emisit votum dependenter à statu Re-  
 ligioso, ut dictum in *Nucl. Theol. Exam. 16.*

n. 4. C. 4. h. t. „ Prohibet Pontifex, ne vir  
 vel uxor ad Religionem transeat, nisi  
 uterque ad eam migraverit; verùm si  
 uxor ita senex est & sterilis, quòd sine  
 suspitione possit esse in sæculo, dissimu-  
 lari potest, ut vir, eâ in sæculo remanen-  
 te & castitatem promittente, ad Religio-  
 nem transeat.

3. C. 5. „ Nullus Conjugatorum est ad  
 Ordines sacros promovendus, nisi ab  
 uxore continentiam profitente fuerit  
 absolutus. De hoc vide *Nucl. Theol.*  
*Exam. 30. n. 4. § 3. & n. 9.* Item C. 9. & 10.

„ Qui consentiente uxore votum vovit so-  
 lemne castitatis, non potest eâ defunctâ  
 aliam sibi validè matrimonio copulare.

C. 12. „ Mulier, quæ credens mortuum  
 maritum, habitum Religionis assumpsit,  
 & eo reverso, de Monasterio educta fuit,

„post obitum viri consultius est, ut ad  
 „Monasterium redeat, ubi professionem  
 „fecit; si verò ad hoc induci non pote-  
 „rit, invitam ipsam Pontifex censet non  
 „cogendam.

4. Ex his sequitur, Professionem so-  
 lemnam, quæ fit consentiente comparte,  
 esse validam, licet ipsam non privet jure  
 petendi debitum, si castitatem non vo-  
 verit; quæ verò fit, invitâ vel ignorante  
 comparte, esse ipso jure irritam, adeoque  
 nec privare jure petendi & reddendi de-  
 bitum, nec facultate transeundi ad alia  
 vota. Verùm propter adulterium, Hæ-  
 resim aliâmq; causam, propter quam  
 Conjuges judicio Ecclesiæ perpetuò quo-  
 ad thorum sunt separati, potest pars in-  
 nocens, juxta C. 16. *et* 21. *b. t.* invitâ & no-  
 lente eâ, quæ causam divortio dedit, libere  
 ad Religionem convolare.

5. II. Circa CONVERSIONEM INFIDELIUM  
 ad Fidem decernitur *b. t. c. 1.* Christianas,  
 quæ in mortem suorum cum Saracenis  
 malitiosè fuerint machinatæ, licet ea-  
 rum studio ad fidem conversi sint, acci-  
 pere non possunt in uxores; vel si duxe-  
 rint, ipsum conjugium non tenet. Vide  
*Nucl. Theol. Exam. 30. n. 5. §. 2.* Si tamen  
 ambo fuissent infideles, conversi valide  
 contraherent, quia crimen ante Baptisma  
 com-

DE VOT. & C. ET DE STAT. MONAC. ET CAN. REG. 473  
commiffum inter illos non inducit im-  
pedimentum. Quomodo diffolvatur ma-  
trimonium infidelium per conversionem  
unius partis? Dicitur in *Nucl. Theol.*  
*Exam. 28. n. 4.*

## TITULUS XXXIV.

### *De Voto & Voti Redemptione.*

Decreta h. t. in Jure Canonico, & à Ca-  
noniftis hîc tractari folita, vide tradita  
in *Nucl. Theol. Exam. 16. n. 3. 4. & 5.* ad  
quæ Lectorem remitto.

## TITULUS XXXV.

### *De Statu Monachorum & Canoni- corum Regularium.*

1. Quæ h. t. tractantur, cum ob diver-  
fitatem Religionum per speciales  
Constitutiones Apostolicas & Ordinum  
variè fint modificata, super his confulen-  
di DD. præfertim RR. ut *Hyacinthus Do-  
natus, Ascanius Tamburinus de Jure Ab-  
batum & c.* qui de fingulis Ordinibus spe-  
cialiter fcripferunt. Notanda tamen fe-  
quentia Capita h. t.

2. I. In *Decret. c. 2.* „Monachi non  
„permittantur habere peculium, & qui  
„in extremis cum peculio inventus fuerit,

Gg s

„(nifi

„(nisi ab Abbate fuerit ei permissum)  
 „ & dignè non pœnituerit, nec inter Fra-  
 „ tres accipiat sepulturam, quod etiam de  
 „ uniuersis Religiosis Pontifex præcipit  
 „ observari. Idem decernit Trident. *sess. 25.*  
*de Reg. c. 2.* „ Nemini Regularium tam  
 „ virorum, quàm mulierum, liceat bona  
 „ immobilia vel mobilia tanquam propria  
 „ possidere vel tenere. Per hæc tamen,  
 „ ut docet *Pichler Decis. 108.* non reprobatur  
 „ praxis plerorùmque Ordinum utriusque  
 „ sexûs, in quibus de licentia Superiorum  
 „ ad nutum ipsorum revocabili permittitur  
 „ Religiosis peculiare depositum ad suum  
 „ privatum, licitum tamen & honestum  
 „ usum.

3. Additur *in cit. Cap. 2. Decret.* „ Mo-  
 „ nachi non singuli per villas & oppida  
 „ seu Parochiales ponantur Ecclesias, nec  
 „ soli inter sæculares spiritualium hostium  
 „ conflictum expectent. Quod tamen non  
 „ est præcepti, sed consilii & honestatis,  
 „ quia, ut ait Seneca *Epist. 25.* *Omnia mala*  
*nobis solitudo persuadet, ac magna pars*  
*peccatorum tollitur, si peccatoris testis as-*  
*sistat.*

4. II. *In 6. h. t. c. un.* „ Constitutione  
 „ perpetuò valiturâ sancit Pontifex, uni-  
 „ versas Moniales cujuscunque Ordinis  
 „ sub perpetua in suis Monasteriis de cæ-  
 „ tero

„tero debere permanere clausura, ita ut  
 „nulli quacunq[ue] ratione vel causâ (nisi  
 „tali morbo laboret, ob quem non possit  
 „absq[ue] gravi periculo vel scandalo aliis  
 „cohabitare) Monasteria deinceps egre-  
 „diendi sit facultas; nulliq[ue] personæ  
 „utriusq[ue] sexûs (nisi rationabilis ac ma-  
 „nifesta causa existat, ac de illius, ad quem  
 „pertinet, speciali licentia) ingressus pa-  
 „teat ad easdem; deinde ut hæc clausura  
 „melius queat observari, prohibet, ne in  
 „Monasteriis Ordinum non Mendican-  
 „tium plures recipiantur de cætero in so-  
 „rores, quàm possint de Monasteriorum  
 „bonis absq[ue] penuria sustentari; si secus  
 „actum fuerit, irritum decernit. Denique  
 „mandat in virtute Obedientiæ & inter-  
 „minatione maledictionis æternæ Episco-  
 „pis, quatenus in Monasteriis Monialium  
 „sibi subjectis ordinario jure, in Exemptis  
 „autem Pontifici immediatè subjectis au-  
 „ctoritate Apostolicâ; ac Prælati Regula-  
 „res in Monasteriis hujusmodi sibi sub-  
 „jectis de clausura convenienti, ubi non  
 „est, quamprimùm commodè poterunt,  
 „provideant. Hanc Constitutionem in-  
 „novavit *Trident. l. c. c. 5.* addens: „Ingredi  
 „intra septa Monasterii Monialium nemi-  
 „ni liceat sine Episcopi vel Superioris li-  
 „centia sub excommunicationis pœna  
 „ ipso

„ ipso facto incurrenda, dare autem licentiam tantum debent in casibus necessariis.

5. Verum hæc Constitutio BONIFACII VIII. in illo rigore extra Italiam ubi vis locorum ob gravia obstacula ad effectum deduci non potuit. Ubi tamen clausura Apostolica introducta est, non possunt Superiores Ordinum ob quamcunque necessitatem vel causam, nisi prius à loci Ordinario cognita & expressè in scriptis approbata sit, dare Moniali licentiam exeundi, ut statuit Pius V. aliàs ab Episcopo, quantumvis sint exempti, tanquam violatores clausuræ puniri possunt, ut ait *Reiffenst. b. t. n. 37.* Pariter Pius V. sub pœna excommunicationis aliisque prohibet, ne in clausuram Monasterii virorum ingrediantur vel in eam admittantur mulieres, saltem sub prætextu alicujus privilegii, exceptis casibus, quibus fit intra claustrum processio, vel celebrantur Officia Divina, aut Fideles sepeliuntur, vel necessitas postulaverit. Censent autem *Laym. &c.* apud *Reiffenst. n. 72.* non extare Legem generalem, quæ prohibeat ingressum mulierum in Monasteria virorum sine prætextu privilegii, aut earum admissionem sub gravi culpa, sed hac in re spectanda specialia Religionum

Instituta, ut notat *Leuren, b. t. Q. 919. n. 3.*  
 Sic in Ordine FF. Minorum per Statuta  
 Generalia C. 4. §. 5. prohibetur sub pœ-  
 nis in Bulla PII V. *Regularium Perso-*  
*narum*, quascunque mulieres, etiam  
 non prætendentes facultatem seu Pri-  
 vilegium intra sua Monasteria admit-  
 tere.

6. Nihilominus permissum est Impe-  
 ratori, Regibus, Electoribus & Prin-  
 cipibus S. R. I. eorumque Uxoribus ac  
 Prolibus ingredi clausuras Virorum ac  
 Monialium. *Nec obstat*, quòd in Bullis  
 Pontificiis exprimatur: *Nec Comitissis,*  
*Marchionissis vel Ducissis talis ingressus*  
*fit licitus.* Nam sunt his Superiores, con-  
 sequenter in lege odiosa, nisi expri-  
 mantur, non comprehendentur, ut pa-  
 tet ex praxi saltem in Germania, ait  
*Reiffenst. b. t. n. 49.* Præterea id per-  
 missum est infantibus seu ante com-  
 pletum septennium; item Fundatoribus  
 aut Fundatricibus, qui vel locum seu  
 fundum sitûs Monasterii concesserunt,  
 vel Monasterium propriis sumptibus fa-  
 bricari fecerunt, vel redditibus dota-  
 verunt ad victum & vestitum Regula-  
 rium. Cæterum cum clausura Regu-  
 larium solius sit Juris Humani, po-  
 test Decretis, clausuram indicentibus,

consuetudine contrariâ derogari, ut no-  
tat *Kerckb. in Stat. c. 5. §. 8. n. 12.* & atten-  
dendum, in quo rigore clausura sit intro-  
ducta, & vigeat in Monasteriis, etiam  
Monialium. Vide *Nucl. Theol. Exam. 4. n. 4.*

7. III. In *Clement. b. t. c. 2.* statuit Pon-  
tifex: „ Ut Exempta Sedi Apostolicæ im-  
„ mediatè subjecta Monasteria Monialium  
„ Apostolicâ, non Exempta Ordinarii  
„ Auctoritate; ac Exempta alia per suos  
„ Superiores annis singulis visitentur; &  
„ ut Abbatissæ, quæ solent benedici, in-  
„ fra annum à die Confirmationis munus  
„ benedictionis accipiant, alioquin se  
„ prorsus jure suo noverint excidisse. Illas  
„ quoque mulieres, quæ vulgò dicuntur  
„ Canonicae sæculares, & ut Canonici  
„ sæculares vitam ducunt, non renun-  
„ tiantes proprio, nec professionem ali-  
„ quam facientes, per locorum Ordina-  
„ rios, si exemptæ non fuerint, suâ, si  
„ verò Exemptæ fuerint, Apostolicâ ju-  
„ bet Auctoritate visitari. Per hoc tamen  
„ non intendit earum statum, Regulam  
„ seu Ordinem approbare; videl. instar  
„ alicujus Ordinis Religiosi, quamvis DD.  
„ apud *Lac. L. 4. n. 229.* censeant, earum  
„ statum esse tacitè approbatum, velut  
„ laudabilem Congregationem, easque,  
„ quamvis Clericæ non sint, esse tamen

personas Ecclesiasticas, quia Ecclesiæ & Officio Divino in Choro sunt mancipatæ, quamvis non gaudeant privilegio Canonis, ut ait *Corr. Prax. Benef. l. 1. c. 5. n. 142.* De earum Exemptione à Jurisdictione Ordinarii vide *Wex in Ariadne p. 5. Dec. 1. casu 3.*

## TITULUS XXXVI.

*De Religiosis Domibus, ut Episcopo sint subjecta.*

**I.** PER DOMOS RELIGIOSAS non tantum veniunt Ecclesiæ & Monasteria, sed etiam Hospitalia seu Xenodochia pro peregrinis, Nosocomia pro infirmis, Orphanotrophia pro pueris orphanis aliisque similia loca ad pium usum cum auctoritate Episcopi erecta; quæ sunt de jurisdictione Ordinarii, habentis super his fundatam in jure intentionem, nisi per præscriptionem aut privilegium Apostolicum exemptio legitime probetur, juxta C. 8. h. t. Econtra alia loca, estò ad honorem DEI aut pios usus, absque tamen auctoritate Episcopi, constructa, propriè Religiosa non sunt, nec gaudent privilegiis piorum locorum, sed pro arbitrio construentium destrui vel alienari possunt.

2. Nihilominus juxta Trident. *sess. 22. de Ref. c. 8. & 25. c. 8.* Episcopi, cum tanquam Sedis Apost. Delegati sint omnium piarum dispositionum executores, possunt hospitalia aliáque pia loca ad peregrinorum, infirmorum, senum, pauperumve usum instituta (etiá dictorum locorum cura ad laicos pertinet) visitare, de bonorum administratione cognoscere, & executionem Fundationis demandare, ac si proventus in dictis locis juxta Testatoris dispositionem erogari nequeant, in alium pium usum, qui eorum institutioni proximior sit, ac pro loco & tempore utilior, cum duobus de Capitulo peritioribus per ipsum deligendis convertere. Notat tamen *Pirrh. h. t. n. 26.* Hospitalia aliáque loca pia sine auctoritate Episcopi constituta non subjacere illius visitationi ante mortem Fundatoris, sed solum post obitum illius, specialiter statuitur h. t.

3. I. In *Decret. c. 5.* „Monasteria virorum, quamdiu per Regulares remanere potuerint ordinata, non sunt ad sæculares Clericos transferenda; sed si Regulares defuerint, propter eorum defectum in eis sæculares Clerici poterunt ordinari. Et c. 9. Ne nimia Religionum diversitas gravem in Ecclesia

„DEI

DEI confusionem inducat, INNOC. III.  
 „ in Concilio Lateran. graviter prohibet,  
 „ ne quis de cætero novam inveniat Reli-  
 „ gionem, inò unam de approbatis assu-  
 „ mat. Similiter qui volunt Religiosam  
 „ domum de novo firmare, Regulam  
 „ & Institutionem unam de approbatis ac-  
 „ cipiant. Unde licet ante Concilium La-  
 „ teran. Episcopi potuerint novas Religio-  
 „ nes approbare; hodie tamen hæc appro-  
 „ batio soli Rom. Pontifici est reservata,  
 „ quanquam Episcopi adhuc possint pro  
 „ sacro Cœtu post assumptum certum Or-  
 „ dinem approbare specialem modum vi-  
 „ vendi, ut patet in Capucinessis, quarum  
 „ modus vivendi, assumpto tertio Ordine  
 „ S. FRANCISCI de Pœnitentia nuncupato, ab  
 „ Episcopis duntaxat est approbatus. His  
 „ consonat

4. II. In 6. *h. t. c. un.* „ In quo GREGORIUS  
 „ X. in Concilio Lugdunensi districtius  
 „ inhibet, ne quis de cætero novum Or-  
 „ dinem aut Religionem adinveniat, vel  
 „ habitum novæ Religionis assumat; &  
 „ Ordines Mendicantium post Concilium  
 „ Lateran. adinventos nec à Sede Apost.  
 „ confirmatos revocat. Hæc tamen Con-  
 „ stit. ad Ordines Prædicatorum & Mino-  
 „ rum (quos evidens Ecclesiæ utilitas per-  
 „ hibet approbatos) non extenditur; nec

482 LIBER III. TITULUS XXXVI.  
ad eos, quorum institutio Concilium La-  
teran. præcessit. Et hinc URBANUS VIII.  
anno 1630. abrogavit Congregationem  
quarundam mulierum in communi vi-  
ventium, quæ vulgò *Jesuiteſſæ* vocaban-  
tur, quia institutum S. J. sine approbatio-  
ne Sedis Apost. æmulari præsumebant.

5. III. In *Clement. c. 1. h. t.*, CLEMENS V.  
„ statum Beguinarum, quæ nulli promit-  
„ tebant Obedientiam, nec propriis renun-  
„ tiabant, nullam Regulam approbatam  
„ profitentes, & Religiosis quibusdam pro  
„ speciali affectu ad illos obedirent, pro-  
„ pter varios ipsarum errores & multo-  
„ rum deceptiones perpetuò prohibet &  
„ abolet. Per quod tamen Pontifex non  
„ intendit prohibere, quin fideles aliquæ  
„ mulieres in suis hospitiiis pœnitentiam  
„ agere volentes Domino deservire licite  
„ valeant. Et C. *Quia contingit 2.* Quæ ad  
„ certum usum largitione sunt destinata  
„ fidelium, ad illum debeant, non ad  
„ alium (salvâ quidem Sedis Apost. aucto-  
„ ritate) converti. Verùm quia *Trident.*  
*sess. 22. de Ref. c. 6.* dicit: In commutatio-  
nibus ultimarum Voluntatum, quæ non  
nisi ex justa & necessaria causa fieri de-  
bent, Episcopi tanquam Delegati Sedis  
Apost. summarie & extrajudicialiter co-  
gnoscant, nihil in precibus tacitâ veritate  
vel

vel suggestâ fallitate fuisse narratum, priusquam commutationes prædictæ executioni demandentur. Ex quo infert communis sententia, posse Episcopum ex justa & necessaria causa pias defunctorum voluntates in alium pium usum commutare, v. g. si Testator reliquit Ecclesiæ annuatim viginti pro Anniversario, & Ecclesia indigeat reparatione, quæ aliunde haberi non possit, posse propter Episcopiam ad tempus applicari reparationi; si Sacellum non possit construi, ubi voluit Testator, potest Episcopus facere, ut construatur alibi; si Legatum sit factum ad ornamenta, quibus Ecclesia non ita indiget, potest converti ad usum magis necessarium, v. g. ad salarium Rectoris, &c. ut notat *Lacr. L. 4. n. 848.* *An autem possit Episcopus cum consensu Patronorum pro una vel altera vice derogare qualitatibus in Fundatione Beneficii appositis?* Disputant DD. apud *Lac. n. 840.*

7. IV. In *Extrav. JOANNIS XXII. h. t. c. un.* „Pontifex damnat Fraticellos sive „Fratres de paupere vita, Bizochos sive „Beguinus vocatos, habitum novæ Religionis assumentes, & Regulam S. Francisci ad litteram se observare fingentes, „(etsi sub Obedientia Ordinis Minorum non vivant) ex prætenso privilegio

„COELESTINI V. vel concessione Episco-  
 „porum, vel denique sub velamine tertii  
 „Ordinis S. Francisci pœnitentium voca-  
 „to statum suum palliantes; quem propter  
 „varios errores, Fidelium scandalum,  
 „aliorum Ordinum opprobrium penitus  
 „revocat, ac perpetuò prohibet sub pœna  
 „excommunicationis. Hæreses Beguino-  
 „rum & Beguinarum, quæ ignoto Auctore  
 „cœperunt in Germania inferiore, recenset  
 „Sannig *Prologo in Scholam Controvers.*  
 „*art. 15.* Inter cætera docuerunt: Perfectionem  
 „Evangelicam postulare, ut nullus ali-  
 „quid in communi vel particulari possi-  
 „deat; hominem in hac vita ad tantam posse  
 „pervenire perfectionem, ut impotens ad  
 „peccandum evadat, nec sit subjectus ulli  
 „potestati humanæ Ecclesiasticæ vel sæcu-  
 „lari; dare mulieri osculum contra naturæ  
 „inclinationem esse mortale; ad sedandam  
 „libidinem coitum cum quacunque fœmi-  
 „na esse licitum &c. Et hinc licet exterius  
 „Religiosissimi apparerent, in suis tamen  
 „secretis latibulis omne genus flagitiorum  
 „exercebant.

7. V. In *Extrav. comm. b. t. c. un.* Idem  
 JOANNES XXII. „Ne innocentes ad paria  
 „cum nocentibus judicentur, mulieres  
 „vulgò Beguinas vocatas, quæ in paren-  
 „tum aut suis aut aliis domibus in simul

„habitant, & vitam ducunt honestam ac  
 „piam, sub Episcoporum ac Parochorum  
 „obedientia, neque de erroribus aliisque  
 „periculosis attentatis suspectæ sunt, de-  
 „clarat sub Constitutione CLEMENTIS V.  
 „supra, quâ statum Beguinarum abolet,  
 „non includi. Unde status Beguinarum  
 in Belgio, aut mulierum inculpabilium,  
 si in communi viventes DEO fideliter fa-  
 mulentur, ab Ecclesia non reprobatur,  
 licet non instar alicujus Religiosi Ordinis  
 approbetur, prout *Tit. præc.* de Cano-  
 nensis sæcularibus dictum.

## TITULUS XXXVII.

*De Capellis Monachorum & aliorum  
 Religiosorum.*

I. PER CAPELLAS h. t. non veniunt Orato-  
 ria seu sacræ ædiculæ intra vel extra  
 templum constructæ; sed Ecclesiæ Pa-  
 rochiales, quæ (dummodo non sint Col-  
 legiatæ) possunt incorporari Monaste-  
 rio, vel *quòd temporalia tantum*, v. g.  
 Decimas aliòsque proventus cum jure  
 præsentandi Clericum idoneum, assigna-  
 tâ ei congruâ portione sustentationis;  
 vel *Pleno Jure*, ut etiam cura anima-  
 rum in Monasterium sit translata, ita  
 ut in tali Parochia Rector Principalis

censeatur esse Abbas vel Prælatus, qui in  
 ea constituat Vicarium Regularem vel  
 sæcularem, perpetuum vel amovibilem,  
 (prout ipsi jus competit) prævio tamen  
 examine approbatum ab Episcopo, cujus  
 „jurisdictioni, visitationi & correctioni,  
 „juxta *Trident. sess. 25. de Regul. c. 11.* im-  
 „mediatè subsunt in iis, quæ ad dictam  
 „curam & Sacramentorum administra-  
 „tionem pertinent, nisi ipsi Prælati juris-  
 „dictionem Episcopalem & temporalem  
 „in Parochos & Parochianos exerceant,  
 quia tunc Ecclesiæ Parochiales *plenis-*  
*simo jure* dicuntur Monasterio incorpora-  
 tæ. Circa tales Capellas h. t. decernitur:

2. C. 4. In *Decret.* „Cum nonnulli Mo-  
 „nachi lege Diocesana Episcopo subjecti,  
 „in quibusdam Prioratibus habitarent so-  
 „litarii, mandat Pontifex, ut Prælati  
 „non exempti ab Episcopo per censuras  
 „compellantur, ut vel ipsos ad claustrum  
 „revocent, facientes in ipsis Ecclesiis de-  
 „serviri per Clericos sæculares; vel alios  
 „Monachos eisdem associant, cum qui-  
 „bus vitam possint ducere Regularem.  
 Verùm huic Constitutioni plerisque in  
 locis per consuetudinem videtur dero-  
 gatum.

 (†) 

TITU-

## TITULUS XXXVIII.

*De Jure Patronatûs.*

De hoc vide *Nucl. Theol. Exam.* 18. n. 2.  
 ac sparsim per Jus Canonicum; quibus adde sequentia h. t. Capita:

1. I. In *Decret. c. 3.* „ Si Patronorum  
 „vota discordent, ille præficiatur Eccle-  
 „siæ, qui majoris est meriti, & à pluribus  
 „eligitur. Hinc si decem sint Patroni, &  
 „quatuor eligant Petrum, tres Paulum &  
 „tres Titium, Petrus est instituendus. Ita  
*Gonz. adh. c.* addens: si Fundator dispo-  
 „nat, ut ad beneficium præsentetur Cleri-  
 „cus à Rectore & Parochianis, quia in eo  
 „casu duæ voces considerantur, quarum  
 „unam habet Rector, Parochiani aliam;  
 „præsentatus à Rectore & aliquibus Paro-  
 „chianis præferendus est præsentato à ma-  
 „jori parte Parochianorum; secus, si ali-  
 „qui tantum Parochiani sint denominati,  
 „habentes singuli cum Rectore suum parti-  
 „culare votum.

2. C. 5. „ Si Clericus idoneus præsentatus,  
 „non fuerit ab Episcopo admissus,  
 „& postea alius idoneus præsentatus & ab  
 „Episcopo institutus possessionem obti-  
 „nerit; in isto casu melior est conditio  
 „possidentis, quia ante præsentationem

„ ab Episcopo approbatam ratum non est,  
 „ quod à Patrono fuerat inchoatum. De  
 „ cætero, si laici Clericis instrumenta  
 „ confecerint in hæc verba: *Concessi vel*  
 „ *dedi Ecclesiam, & præsentis charta fir-*  
 „ *mavi*, si consensus Episcopi non accesserit,  
 „ nihil agitur, quia pro non dato habetur,  
 „ quod ab illo datur, qui de jure non potest  
 „ donare; putà collationem beneficii. Et c. 8. Laicus sine auctoritate  
 „ Episcopi nemini potest Ecclesias dare, licet  
 „ Religioso loco Jus-Patronatus liberè conferre  
 „ valeat. Unde si laicus potens, de facto, non  
 „ de jure detineat Ecclesiam, jura concedunt,  
 „ ut possit auctoritate Episcopi proprietatem  
 „ illius ad locum Religiosum transferre, ut in  
 „ simili supra T. 10. c. 7. n. 4. dictum de  
 „ Decimis.

3. C. 10. „ Cum laici sine Auctoritate  
 „ Episcopi Clericis Ecclesias sui Patronatus  
 „ concedunt, & postea facti pœnitentes alios  
 „ præsentant, illique ab Episcopo instituuntur,  
 „ eorum institutio stare debet, Ecclesiæ concessione  
 „ priori, quæ nulla est, omnino evacuata; non  
 „ enim licet laicis Clericos in Ecclesiis ordinare.  
 „ Vide T. 7. n. 3. Unde ex benignitate  
 „ Ecclesiæ, ob Ecclesiam illegitimè aliis  
 „ concessam, Patroni Jure-  
 „ patro-

Patronatûs non privantur, etiam pro illa vice. C. 16. Mandat Pontifex: „Si „R. Jus Patronatûs comparavit, (cum „inconveniens sit illud vendi, quod est „spirituali annexum) contractum illum „irritum decerni. Vide *Nucl. Theol. Exam.* 17. n. 4.

4. C. 19. „Clericus institutus ad præ- „sentationem ejus, qui credebatur esse „Patronus, si postea Jus Patronatûs alius „evicerit, institutus non debet propter „hoc removeri, si tempore præsentatio- „nis, qui eum præsentavit, Jus Patronatûs „possidebat; si verò putatitius patronus „tum in possessione non erat, poterit in- „stitutus removeri. C. 22. Illas Eccle- „sias, de quarum patronatu Ecclesia- „stico controversia fuerit, si intra sex „menses non fuerit controversia ter- „minata, licitum est Episcopo de per- „sona idonea ordinare. C. 24. Si quis „Clericum idoneum præsentârit, & po- „stulârit postmodum, eo non refutato, „aliud æquè idoneum in eadem Eccle- „sia admitti, quis eorum alteri præ- „feratur, judicio Episcopi relinquitur, si „laicus fuerit patronus; si autem Eccle- „siastica persona jus præsentandi habeat, „qui prior est tempore, jure potior esse „videtur; quia patronus Ecclesiasticus

490 LIBER III. TITULUS XXXVIII.  
variare non potest. Vide *Nuc. Theol. Ex.*  
*18. n. 2.*

5. C. 25. „ Patrono, qui cum consensu  
„ Diœcesani Ecclesiam fundat, construit  
„ vel dotat, honor processionis fervetur,  
„ & si ad inopiam vergat, ab Ecclesia mo-  
„ destè illi succurratur. C. 26. Cùm nul-  
„ lus ingerere se debeat Ecclesiasticæ Præ-  
„ lationis officiis, nullus ad Personatum  
„ alicujus Ecclesiæ se potest præsentare.  
Circa quod notat *Wagn. h. c.* quòd, licet  
Patronus non possit seipsum præsentare,  
possit tamen, si sit indigens, offerre pre-  
ces Episcopo, ut sibi conferat beneficium,  
saltem non curatum. C. 27. Mandat  
Pontifex: „ Ut si de jure Patronatûs laici  
„ quæstio emerferit, & intra quatuor men-  
„ ses non fuerit definita, Episcopus Ec-  
„ clesiam de persona idonea ordinet, ut  
„ tamen imposterum non generetur præ-  
„ judicium illi, qui jus patronatûs evice-  
„ rit. C. 29. Si Episcopus Clericum à lai-  
„ co præsentatum non duxerit admitten-  
„ dum, & post appellationem ad Sedem  
„ Apost. ab ipso eâ propter interpositam,  
„ Patronus alium præsentaverit, ab Epi-  
„ scopo institutum, hujus institutio robur  
„ obtinet firmitatis. Verùm Episcopus,  
„ qui primò præsentatum idoneum mali-  
„ tiosè recusavit admittere, ad providen-  
„ dum

„dum eidem in beneficio competenti  
 „compellatur, quatenus puniatur in eo,  
 „in quo ipsum non est dubium deliquisse.  
 „C. 31. Ex vi juris patronatûs non con-  
 „cessio, sed præsentatio pertinet ad pa-  
 „tronum, sive Ecclesiasticum sive laicum.  
 Hæc per se clara sunt.

6. II. *In 6. b. t. c. un.* decernitur: „Si  
 „laicus jus patronatûs alteri Ecclesiæ,  
 „sive loco Religioso contulit, hujusmodi  
 „collatio, etiam absque consensu Episco-  
 „pi facta, efficax est censenda; & quam-  
 „vis Patronus laicus ad præsentandum  
 „tempus habeat quadrimestre, Ecclesia  
 „tamen vel Monasterium, cui laicus jus  
 „patronatûs contulit, tempus habet se-  
 „mestrem; ac quantum ad præsentationem  
 „pertinet, non ut patronus laicus, sed ut  
 „Ecclesiasticus debet reputari; quod in  
 „variis casibus occurrentibus notandum,  
 nam mutatione personæ mutatur Patro-  
 natus.

7. Circa hoc notant Canonistæ, quam-  
 vis laicus possit sine consensu Episcopi  
 transferre Patronatum per donationem  
 in Ecclesiam, per remissionem in Com-  
 patronum, per permutationem cum alio  
 jure patr. aut venditionem rei, cui jus  
 patr. accessoriè est annexum; sine eo ta-  
 men consensu non posse per se & singula-  
 riter

riter

492 LIBER III. TITULUS XXXVIII.  
riter laico vel etiam Clerico ut personæ  
privatæ Jus Patronatûs concedere seu do-  
nare. *Leur. in Foro Benef. p. 2. Q. 62.* Dein-  
de si Compatronus laicus suum jus dona-  
verit Ecclesiæ, ut ita Jus Patronatûs fiat  
mixtum, tali casu laicis quoque competere  
semestre, eò quòd tunc quoad favorabilia  
magis dignum videatur ad se trahere mi-  
nùs dignum; non in odiosis, quia non de-  
bet laicus suo jure sine culpa aut causa  
privari; hinc factâ præsentatione licebit  
Patronis laicis variare, non Ecclesiastico.  
*Ita Engel h. t. n. 12.* Denique Patronum  
laicum non amittere Jus Patronatûs ob  
Excommunicationem, licet ejus usu &  
exercitio sit privatus, donec fuerit ab-  
solutus; secus, si labatur in hæresin. Illud  
tamen abjuratâ hæresi recuperat, etiam  
sine restitutione in integrum, si non sit  
in specie lata contra ipsum sententia pri-  
vationis, juxta DD. apud *Leuren. l. c.*  
*Q. 120. n. 7.*

8. III. In *Clement. h. t. c. 2.* sancit Cle-  
mens: „Plures ab uno ex Patronis Ec-  
„clesiæ relictî hæredes vocem duntaxat  
„unius habent in præsentatione. Neque  
„inconveniens est, Patronos ipsos inter  
„se liberè posse convenire de Rectore ab  
„eis alternis vicibus præsentando, quod  
„clarum est.

9. Circa

9. Circa Jus Patronatûs Trident. *sess. 25.*  
*de Ref. c. 9.* decernit: „Legitima Patro-  
 „natum Jura tollere, piâsque fidelium  
 „voluntates in eorum institutione vio-  
 „lare æquum non est; ut igitur debita in  
 „omnibus ratio observetur, titulus Juris-  
 „patronatûs sit ex Fundatione vel dota-  
 „tione, qui ex authentico documento  
 „& aliis jure requisitis ostendatur, sive  
 „etiam ex multiplicatis præsentationi-  
 „bus per antiquissimum temporis cur-  
 „sum, qui hominum memoriam excedat,  
 „aliâsve secundum juris dispositionem.  
 „Patroni autem, cujuscunque ordinis  
 „aut Dignitatis existant, in perceptione  
 „fructuum, proventuum, obventionum  
 „beneficii nullatenus se ingerant, sed  
 „illos liberè Rectori seu beneficiato, non  
 „obstante quacunque consuetudine, di-  
 „tribuendos dimittant. Nec dictum  
 „Jus Patronatûs venditionis aut alio quo-  
 „cunque titulo in alios contra Canoni-  
 „cas Sanctiones transferre præsumant;  
 „si secus fecerint, dicto Jurepatronatûs  
 „ipso jure privati existant.



## TITULUS XXXIX.

*De Censibus, Exactionibus & Procuratoribus.*

**I.** Per CENSUS h. t. intelligitur annua pensio, è bonis Ecclesiæ Patrono, ratione Fundationis vel Dotationis, auctoritate Episcopi perpetuò constituta aut solvenda; aut etiam quæ singulis annis juxta consuetudinem Diocesium de redditibus Ecclesiæ & beneficiorum Episcopo in signum subjectionis & recognitionem Ecclesiæ Cathedralis tanquam Matricis penditur; Diciturque *Cathedraticum*, & de jure sunt duo solidi, i. e. duo aurei, de quo *c. 7. h. t.* prohibet Concilium Lateran. „ Ne Episcopi aliique Prælati novos censibus imponant Ecclesiis, nec veteres au- „ geant; aliter facta irrita habeantur. Antiquus census dicitur, qui fuit impositus tempore fundationis vel consecrationis Ecclesiæ; Novus, quem ex post Episcopus imponit. Potest tamen Episcopus, de Papæ & Capituli consensu Ecclesiam à juribus Episcopalibus liberans, sibi censum retinere, ut patet ex *c. 6. de Relig. Dom.* in quo Pontifex rescribit: „ Non „ esse insolitum, ut cum Episcopi concedunt Ecclesias piis locis, aliquid sibi „ refer-

„reservent nomine pensionis. Potest quoque Episcopus juxta dicta *sup. Tit. 12. n. II.* imponere beneficio pensionem temporalem.

2. Per Exactiones generaliter veniunt tributa, Pedagia, Gabellæ, &c. ex justa causa à domino territorii pro subsidio extraordinario exigita, de quibus *c. 10. h. t.* „Nemo novas Pedagiorum exactiones „sine auctoritate Regum & Principum „aliquo modo præsumat sub pœna excommunicationis; quæ in Bulla Cœnæ est lata in omnes, qui in suis terris nova pedagia seu gabellas, præterquam in casibus à jure sibi permisis, imponunt vel augment. An ea defraudantes peccent in conscientia graviter vel leviter pro materiæ quantitate? Disputatur. Vide *Nucl. Theol. Ex. 2. n. 2.*

3. In præsentī per EXACTIONES intelligitur subsidium charitativum, quod Episcopus à suis subditis, præsertim à personis Ecclesiasticis ratione suorum beneficiorum ob justam causam extraordinariè exigat, de quo *C. 6. h. t.* „Prohibet Concilium Lateran. ne Episcopi subditos Talliis & exactionibus gravent; si tamen „honestæ ac rationabilis causa extiterit, „cum charitate moderatum ab eis auxiliū valeant postulare pro multis neces-

„sita-

„sitatibus, quæ aliquoties superveniunt.  
 „Archidiaconi verò sive Decani nullas  
 „exactiones sive tallias in Presbyteros  
 „sive Clericos exercere præsumant. An  
 verò Monasteria & Regulares Exempti  
 ad subsidium charitativum ab Episcopo  
 cogi possint? Controvertunt DD. apud  
*Reiffenst. h. t. n. 27.* Porro iustæ causæ pe-  
 tendi charitativum subsidium, teste *Engel*  
*h. t.* sunt, si proprii redditus non suffi-  
 ciant Episcopo; si pro causis & negotiis  
 Diœcesis magnas fecerit expensas; si de-  
 bita pro bono communi Diœcesis con-  
 tracta dissolvere velit, &c.

4. PROCURATIO ad præsens est contri-  
 butio sumptuum & expensarum necessa-  
 riarum pro victu & honesta sustentatione,  
 ratione visitationis ex redditibus Eccle-  
 siarum debita Episcopis, Archidiaconis  
 vel aliis, cum personaliter visitationis  
 officium impendunt. Circa eam statuitur  
*C. 23. h. t.* „Ne Ecclesiæ propter Visita-  
 „tores nimium aggraventur, Procura-  
 „tiones recipiant moderatas; & cum ali-  
 „qua non sufficiat per seipsam, duæ vel  
 „plures jungantur in unum. Visita-  
 „tionis officium exercentes non quærant,  
 „quæ sua sunt, sed quæ JESU Christi,  
 „exhortationi, correctioni & reforma-  
 „tioni vacando, ut fructum referant, qui  
 „non

non perit. Et C. 27. Inhibet Pontifex:  
 „Ne quis pro eo, quòd Monachi in Ora-  
 „toriiis, quæ in Grangiis suis habent, in-  
 „terdum celebrant, Procurationes, quæ  
 „ratione visitationis debentur, ab ipsis  
 „exigere vel extorquere præsumat. Idem  
 „est de Oratoriis privatis, quæ quis in do-  
 „mo propria pro sua devotione sine con-  
 „sensu Episcopi extruit; si tamen in iis ex  
 „privilegio celebrentur Missæ, potest Or-  
 „dinarius, si velit, ea visitare, ut dispiciat,  
 „an decenti modo sint constructa, ac hono-  
 „rificè habeantur, ut ait *Pirh. h. t. n. 81.* Cir-  
 „ca hæc videtur attendenda consuetudo  
 „& praxis Diœcesium.

## TITULUS XL.

*De Consecratione Ecclesiæ vel Altaris.*

Revisis iis, quæ in *Nucl. Theol. de sacri-  
 „legio locali Exam. 17. n. 3. §. 4.* Item de  
 „Consecratione & execratione Altarium,  
 „Calicum & sacrarum vestium *Exam. 24.  
 „n. 6.* tradita sunt, notanda sequentia Ca-  
 „pita h. t.

1. I. In *Decret. c. 1. & 3.* „Si Altare  
 „motum fuerit, aut solùm lapis supposi-  
 „tus consecratus, qui sigillum continet,  
 „confractus aut enormiter diminutus ex-  
 „titerit, debet denuò consecrari; Ecclesiæ

„verò consecratio propter hoc non reite-  
 „randa. Neque negatur, quin oleum non  
 „consecratum consecrato possit oleo  
 „commiscri, de quo in *Nucl. Theol.*  
*Exam. 27. n. 1. §. Materia.* Ex hoc arguunt  
 DD. si quoque minores partes Ecclesie  
 parietum per intervalla destruantur & re-  
 ficiantur, ita ut nunquam major pars simul  
 pereat, Ecclesiam, quamvis successive tan-  
 dem ex toto videatur reedificata, non in-  
 digere novâ consecratione, quia major  
 pars consecrata semper minorem partem  
 accessoriam facit participem consecratio-  
 nis. Aliud est de vino non consecrato mix-  
 to cum consecrato, quia vis convertendi  
 vinum in Sanguinem Christi (quæ est con-  
 secratio physica, non moralis) non est con-  
 cessa mixtioni, sed verbis Consecrationis.

2. C. 4. „Si in Ecclesia homicidia con-  
 „tingant aut vulnera inferantur, manen-  
 „te Ecclesiâ & Altari, poterit ipsa recon-  
 „ciliari per aquam cum vino & cinere be-  
 „nedictam; antequam tamen Ecclesia  
 polluta reconcilietur, in ea Divinorum  
 Officiorum celebratio & fidelium sepul-  
 tura est interdicta. Verùm licet Trans-  
 gressores sint rei peccati gravis & ab Epi-  
 scopo puniendi, nulla tamen in eos pœ-  
 na, v. g. Irregularitatis aut alia à jure lata  
 est, ut notat *Gonz. ad c. 7. h. t.*

3. C. 6. „Ligneis ædificiis Ecclesiæ  
 „casu quodam igne consumptis, parieti-  
 „bus tamen illæsis ac mensâ principalis  
 „Altaris in sua extremitate modicam pas-  
 „sâ fracturam, ob hoc nec Ecclesia nec  
 „Altare, debet denuò consecrari. C. 7.  
 „Cœmeteria verò, in quibus excommu-  
 „nicatorum corpora sepeliuntur, recon-  
 „cilianda sunt aspersione aquæ solemniter  
 „benedictæ. Unde polluitur locus sa-  
 „cer, uti per sepulturam Infidelis, ita & per  
 „sepulturam Excommunicati; si tamen  
 „fuerit nominatim denunciatus, vel noto-  
 „rius Clerici percussor. C. 9. „Aquâ per  
 „Episcopum benedictâ Ecclesia reconci-  
 „liari potest per alium Episcopum; per  
 „Sacerdotes simplices hoc fieri de cætero  
 „prohibetur, non obstante consuetudine,  
 „quæ dicenda est potiùs corruptela; quia  
 „licet Episcopus committere valeat, quæ  
 „jurisdictionis existunt; quæ Ordinis ta-  
 „men Episcopalis sunt, non potest infe-  
 „rioris gradûs Clericis demandare. Ni-  
 „hilominus ex commissione vel privilegio  
 „Rom. Pontificis Ecclesias consecratas, si  
 „pollutæ sint, reconciliare potest simplex  
 „Sacerdos; quamvis enim Papa huic con-  
 „cedere nequeat, quæ sunt Ordini Episco-  
 „pali privativè annexa ex Jure Divino, ut  
 „ordinare Presbyteros &c. potest tamen

ea, respectu quorum Presbyter habet potestatem incompletam, juxta dicta in *Nucl. Theol. Exam. 22. n. 7.* vel quæ sunt annexa ex jure duntaxat humano, ut consecrare vel reconciliare Ecclesias. Sic LEO X. apud *Reiffenst. h. t. n. 27.* concessit Guardianis FF. Minorum, quòd possint Ecclesias sibi subjectas, aut pollutas, reconciliare aqua à se benedictâ, si Episcopus distet ultra duas dietas; alias aqua per Episcopum benedictâ; qui pariter ipsi concessit proprias Ecclesias, Cœmeteria & Oratoria solemniter benedicere, ut, donec consecrentur, Missæ aliæque Divina in iis peragantur. Ita *Reiffenst. h. t. n. 9. C. 10.*  
 „ Ecclesia non consecrata, si semine aut  
 „ sanguinis effusione fuerit polluta, protinus aqua exorcizatâ lavetur, ne Divina  
 „ laudis organa suspendantur. Unde Ecclesia tantum benedicta per simplicem Presbyterum ex delegatione Episcopi reconciliari potest asperzione aquæ lultralis. Ita Monacelli *p. 1. Tit. 6. Form. 10. n. 26.*

4. II. *In 6. h. t. c. un.* statuitur: „ Si Ecclesiam seminis aut sanguinis effusione  
 „ pollui contingat, Cœmiterium quoque  
 „ contiguum censetur pollutum, quod  
 „ antequam reconcilietur, nemo in illo  
 „ debet sepeliri; secus est, si remotum  
 „ fuerit ab Ecclesia. Non tamen vicissim  
 „ pol-

polluto Cœmiterio, quamvis Ecclesiæ  
 contiguo, Ecclesia polluitur, ne minus  
 dignum majus, aut accessorium prin-  
 cipale ad se trahere videatur; unde Cœ-  
 miteria quamvis cohærentia, non unum  
 sed plura esse noscuntur, si pariete me-  
 dio sejungantur, ideóque violato uno  
 (licet de uno in aliud per portam sit ac-  
 cessus) alterum non reputabitur viola-  
 tum seu pollutum. Verum, ut advertit  
*Monac. l.c. n.28.* ad hoc, ut Ecclesia dica-  
 tur polluta & indigeat reconciliatione, re-  
 quiri, quòd supradicta delicta sint publi-  
 ca, & fiant in ipsa Ecclesia vel Cœmi-  
 terio; nam si contingerent in Sacrario,  
 in Atrio aut Campanili, Ecclesia non  
 pollueretur.

## TITULUS XLI.

*De Celebratione Missarum, & Sacra-  
 mento Eucharistiae, & Divinis  
 Officiis.*

Quæ h. t. habentur, explicari solent  
 à Casistis in materia de Eucharistia,  
 de Sacrificio Missæ & Horis Canonicis,  
 de quibus sufficienter in *Nucl. Theol.*  
*Exam. 18. n.5. & seqq.* item *Exam. 23. & 28.*  
*per totum.*

## TITULUS XLII. &amp; XLIII.

*De Baptismo & ejus Effectu.**Item**De Presbytero non baptizato.*

I. **D**E BAPTISMO & ejus effectu vide *Nucl. Theol. Exam. 22. per totum.*

II. DE PRESBYTERO NON BAPTIZATO h. t. dcernitur C. 1. „ Si quis Presbyter ordi- „ natus deprehenderit se non esse baptiza- „ tum, baptizetur & iterum ordinetur. Vide *Nucl. Theol. Exam. 27. n. 4. §. Notandum.* Verùm licet talis invalidè exerceret actus Ordinis, v. g. consecrando, absolven- do, &c. validè tamen baptizaret, assiste- ret matrimonio, (si sit error communis cum titulo colorato) & materialiter, non fructuosè, susciperet Eucharistiam, ut patet ex *Nucl. Theol.* Rectè tamen ait Pon- tificex C. 3. h. t. „ Certè de illo, qui natus „ de Christianis parentibus & inter Chri- „ stianos est fideliter conversatus, tam „ violenter præsumitur, quòd fuerit bap- „ tizatus, ut hæc præsumptio pro certitu- „ dine sit habenda, donec evidentissimis „ argumentis contrarium probetur.

☞ (†) ☞

TITU.

TITULUS XLIV. & XLV.

*De Custodia Eucharistiae, Chrismatis,  
& aliorum Sacramentorum.*

*Item*

*De Reliquiis & Veneratione  
Sanctorum.*

I. Circa CUSTODIAM EUCHARISTIÆ &c.  
*h. t. C. 1.* statuitur: „Ut in cunctis  
Ecclesiis Chrisma & Eucharistia sub fi-  
deli custodia clavibus adhibitis conser-  
ventur, ne possit ad illa temeraria manus  
extendi; si verò is, ad quem spectat cu-  
stodia, ea incautè reliquerit, puniatur.  
C. 2. prohibetur: „Ne supellectilia pro-  
fana in Ecclesiis admittantur, nisi pro-  
pter hostiles incursus seu alias necessita-  
tes urgentes ad eas oporteat habere re-  
fugium, sic tamen, ut necessitate cessante  
res in loca pristina reportentur. Præci-  
pitur quoque, ut vasa ministerii, Corpo-  
ralia, Pallæ Altaris, ac vestimenta Mi-  
nistrorum munda & nitida serventur;  
videtur enim absurdum, in Sacris sordes  
negligere, quæ dedecent in profanis;  
quod Parochis & ædituis inculcandum.  
Ex hoc textu infert *Abbas* apud *Pirh. h. t.*  
quòd tempore necessitatis possint Eccle-

504 LIBER III. TIT. XLVI. & XLVII.  
fiæ muniri contra hostes & defendi per  
milites; *quia quod non est licitum in lege,  
necessitas facit licitum.* C. 4. de R. J.

II. De RELIQUIIS h. t. c. 2. dicitur:  
„Christianæ Religioni detrahunt, qui  
„Sanctorum Reliquias venales exponunt.  
Putà ratione benedictionis vel pluris ra-  
tione ipsius, quia esset simonia; secus,  
si permutentur aut vendantur ratione  
materiæ connexæ pretio æstimabilis. De  
VENERATIONE SANCTORUM agunt Con-  
troversistæ.

## TITULUS XLVI. & XLVII.

*De Observatione Jejuniorum; & Pu-  
rificatione post partum.*

I. De JEJUNIO agunt Casistæ, & videri  
potest *Nucl. Theol. Exam. 19. n. 3.*

II. Circa PURIFICATIONEM PUERPERE  
*b. t. C. un.* ait Pontifex: „Licet secun-  
„dum Legem Mosaicam mulieres certis  
„diebus post partum à templi cessarent  
„ingressu, postquam tamen umbra Le-  
„gis evanuit, si post prolem enixam  
„acturæ gratias Ecclesiam intrare volue-  
„rint, Ecclesiarum aditus non est eis  
„denegandus; si tamen ex veneratione  
„voluerint aliquamdiu abstinere, devo-  
„tio earum non est improbanda. Circa  
hoc

hoc notat *Reiffenst.* Purificationem mulierum recenseri inter Jura Parochialia, proinde Regularibus nullatenus competere, nisi alicubi vigeat consuetudo contraria legitimè præscripta, ut ait *Leuren. h. t. Q. 991.* Proinde attendant, ne falcem mittant in messem alienam.

## TITULUS XLVIII.

*De Ecclesiis aedificandis & reparandis.*

**H.** *T. in Decret. c. 1.* statuitur: „Qui-  
 „cunque Beneficium Ecclesiasti-  
 „cum habent, ad tecta Ecclesiæ restau-  
 „randa vel ipsas Ecclesias emendandas  
 „omnino adjuvent. Cui consonat *Trid.*  
*sess. 21. de Ref. c. 7.* decernens: „Episcopi  
 „Parochiales Ecclesias, etiamsi Juris pa-  
 „tronatûs sint, collapsas refici & instaura-  
 „ri procurent ex fructibus & proventibus  
 „quibuscunque ad easdem Ecclesias quo-  
 „modocunque pertinentibus; qui si non  
 „fuerint sufficientes, omnes patronos &  
 „alios, qui fructus aliquos ex dictis Eccle-  
 „siis provenientes percipiunt, aut in illo-  
 „rum defectum Parochianos omnibus re-  
 „mediis opportunis ad prædicta cogant.  
 Ratio, quia utique decet, ut qui percipiunt  
 ab Ecclesia comodum & lucrum, sentiant

quoque onus, & expensas ad reparatio-  
nem Ecclesiæ pro rata contribuant. Idem  
est iudicium de ædificatione vel repara-  
tione Domûs Parochialis aut Beneficiati.  
In his tamen, ut notant DD. h. t. ante omnia  
attendenda est consuetudo loci & Statuta  
Diocesana.

2. C. 2. Concilium Lateran. constituit,  
„ ut ubicunque tot simul leprosi sub com-  
„ muni vita fuerint congregati, ut Eccle-  
„ siam cum cœmiterio sibi construere &  
„ proprio gaudere valeant Presbytero,  
„ sine contradictione aliqua permittantur  
„ habere, salvo jure Parœciali veteris Ec-  
„ clesiæ. Statuit etiam, ut de hortis & nu-  
„ trimentis animalium suorum Decimas  
„ tribuere non cogantur.

3. C. *Ad audientiam* 3. h. t. ALEX. III.  
„ Cùm villa H. tantùm distaret ab Ecclesia  
„ Parochiali, ut tempore hyemali, cùm  
„ pluvix inundaverint, non possint Paro-  
„ chiani sine magna eam difficultate adire,  
„ unde non valent Ecclesiasticis Officiis  
„ congruo tempore interesse, & quia Pa-  
„ rochialis Ecclesia ita in Redditibus abun-  
„ dabat, quòd præter illius villæ proven-  
„ tus Minister illius convenienter valeat  
„ sustentationem habere, mandat Epi-  
„ scopo, ut Ecclesiam ibi ædificet, & in  
„ ea Sacerdotem ad præsentationem Re-

„ toris

„Rectoris Ecclesiae Majoris, i. e. Parochialis  
 „instituat, ad sustentationem suam ejus  
 „villae obventiones Ecclesiasticas per-  
 „cepturum. Providendum tamen, ut  
 „competens in ea honor pro facultate loci  
 „Ecclesiae Matrici servetur. Hanc Decre-  
 „talem confirmat Trident. *sess. 21. de Ref.*  
 „c. 4. dicens: „Episcopi etiam tanquam Se-  
 „dis Apost. Delegati novas Parochias,  
 „etiam invitatis Rectoribus, (qui tamen  
 „vocandi prius & audiendi) juxta dictam  
 „Constitutionem ALEX. III. constituere  
 „possint. Varia tamen in ea praecipuntur:  
 1. Ut reservetur jus praesentandi Clericum  
 ad novam Ecclesiam Rectori veteris Ec-  
 clesiae, a qua fit dismembratio, in com-  
 pensationem damni illati, qui proinde  
 habet pro se intensionem in jure funda-  
 tam. 2. Ut Rectori novae Ecclesiae af-  
 signentur pro ejus sustentatione Oblatio-  
 nes & Decimae pro modo Parochiae dis-  
 membratae, nisi aliunde nova Ecclesia  
 dotetur. 3. Ut competens honor in ea re-  
 servetur Ecclesiae matrici, i. e. annua ali-  
 qua pensitatio arbitrio Episcopi moderan-  
 da. Ita *Gonz. b. t.* Vide supra *Tit. 12. n. III.*

4. Quaes, quænam requirantur con-  
 ditiones, ut possit quis in suo fundo ædi-  
 ficare Capellam, i. e. Sacellum seu Orato-  
 rium publicum? R. Sequentia: 1. *Licentia*  
 seu

508 LIBER III. TITULUS XLVIII.  
seu consensus Episcopi ejusve Vicarii Generalis, (vel potius Vicarii in Pontificalibus, ubi datur, ut docet Dript *in Speculo Archidiaconali art. 4. §. de Vicar. Episc. ad Pontificalia*) quam etiam Sede vacante juxta Leuren. *in Vic. Episc. Q. 602.* sine speciali mandato dare potest Vicarius Capituli. Hanc concurrentibus rationabilibus causis, cum cedat ad Divini cultus augmentum, denegare non debet, alias daretur recursus ad S. Congregationem Conc. pro supplendo Ordinarii consensu; à qua teste Monac. *p. 1. Tit. 6. Formul. 10. n. 3.* facile obtinetur Rescriptum: *Licentiam esse concedendam sine præjudicio jurium Parochialium.* Verum juxta Pignat. *Tomo 1. Consult. 93. n. 23.* de jure non requiritur expressa Ordinarii licentia, sed sufficit tacita, v. g. si sciat, erigendum esse Oratorium, & non contradicat. 2. *Dos,* i. e. stabiles Redditi pro conservatione Fabricæ & necessariis ad usum Sacrificii, quia saltem tres Missæ in tali Capella annuatim sunt legendæ; nam ut dicitur *C. 8. de Consec. Eccles.* „Non est Ecclesia, „ nisi de Dote ei provisum fuerit, consecranda. Sufficit autem, ut fiat obligatio omnium bonorum construendis, si sit præditus facultatibus, ut ex iis possint præmissa futuris temporibus adimpleri. Ita

Ita Monac. l. c. n. 4. 3. *Ut erigatur re-  
servatis Juribus Parochialibus*, quæ si ab  
Ordinario præservata sint, Parochus non  
valet se opponere, ut sæpiùs à S. Congre-  
gatione decisum; & præjudicium pro-  
veniens Ecclesiis Parochialibus ex dimi-  
nutione concursûs & eleemosynarum  
penitus contemnitur, ac Parochi semper  
succumbent, quoties hoc clypeo velint se  
opponere ædificationi novarum Capella-  
rum. *Monac. l. c. n. 15.* Ad quem autem  
spectent oblationes in tali Capella factæ?  
Dicitur est supra *Tit. 30. n. 3.*

*Reiffenstuel h. t.* etiam agit de ædifica-  
tione & erectione novorum Monasterio-  
rum, ac quæ circa ea juxta Constitutio-  
nes Apost. sunt observanda, qui utiliter  
legendus.

## TITULUS XLIX.

*De Immunitate Ecclesiarum, Cœmiterii  
& Rerum ad eas pertinentium.*

De triplici Immunitate Ecclesiastica vi-  
de *Nucl. Theol. Exam. 16. n. 2.* & signan-  
ter de personali *Lib. 2. Decret. Tit. 2.*  
Præcipuè hîc agitur de Reali & Locali.  
Circa quam specialiter h. t. statuuntur  
sequentia :

1. I. In *Decret. c. 5.* sub anathematis in-

ter-

„ terminatione prohibetur, ne sæculares  
 „ Judices causas, ubi de sanguinis effusio-  
 „ ne & corporali pœna agitur, in Ecclesia  
 „ vel cœmeteriis agitare præsumant. Ab-  
 „ surdum enim est & crudele, ibi iudicium  
 „ sanguinis exerceri, ubi constituta est tu-  
 „ tela refugii. C. 6. Reus confugiens ad  
 „ Ecclesiam, quantumcunque gravia ma-  
 „ lesicia perpetrarit, non est violenter ab  
 „ Ecclesia extrahendus. Excipe, nisi com-  
 „ miserit crimina in Bulla GREGORII XIV.  
 „ excepta, de quibus in *Nucl. Theol. l. c.* præ-  
 „ ter quæ BENEDICTUS XIII. Bullâ: *Ex quo*,  
 „ datâ Anno 1725. privat asylo occidentes  
 „ proximum animo præmeditato ac deli-  
 „ berato; quæ tamen tantum locum habet  
 „ in locis, in quibus est promulgata & usu  
 „ recepta, ut docet *Pichler Decis. 181.*

2. Porro hoc jus asyli (per quod Ec-  
 „ clesia non fovet peccata, sed ob reveren-  
 „ tiam loci concedit misericordiam delin-  
 „ quentibus, licet ex hoc mali sæpe sumant  
 „ occasionem delinquendi, sicut impii ex  
 „ misericordia DEI occasionem peccandi)  
 „ tanquam favorabile extenditur ad cœmi-  
 „ teria etiam non contigua Ecclesiæ, atria,  
 „ porticus, hortos inter septa Monasterii;  
 „ item januas & parietes Ecclesiæ, ut ea  
 „ tangens inde violenter abstrahi nequeat,  
 „ uti nec tangens vestes Sacerdotis portan-  
 „ us

tis Eucharistiam, aut se associans Procef-  
 fioni cum Sanctissimo, juxta Declaratio-  
 nes S. C. apud *Pignat.* teste *Reiffenst. h. t.*  
*n. 49.* Si enim, ut argumentatur *Delbene:*  
*Ubi Papa, ibi Roma; cur non ubi presens*  
*Corpus Christi, ibi etiam locus sacer aut Re-*  
*ligiosus?* Id tamen limitatur in casu, quo  
 Eucharistia defertur ad reum in carcere  
 detentum. Denique juxta *C. 9. h. t.* „Pri-  
 „vilegium Immunitatis non negatur Ec-  
 „clesiis & Oratoriis, in quibus auctoritate  
 „Episcopi Divina Mysteria celebrantur,  
 „licet adhuc non extiterint consecrata;  
 „aut juxta DD. quamvis fuerint polluta  
 „& interdicta; imò juxta antiqua jura spa-  
 „tium inter 40 vel 30 passus Ecclesiæ vel  
 „Capellæ adjacens gaudet jure asyli, quod  
 „tamen consuetudine contrariâ videtur  
 „esse sublatum.

3. C. 7. „Adversus Consules & Rectores  
 „Civitatum vel alios, qui Ecclesias &  
 „Ecclesiasticos viros Tallis seu Collectis  
 „& exactionibus aliis adgravare nituntur,  
 „volens Immunitati Ecclesiasticæ Conci-  
 „lium Lateran. providere, præsumptio-  
 „nem hujusmodi sub Anathematis distri-  
 „ctione prohibuit. Verum si quando fortè  
 „Episcopus & Clerus tantam necessita-  
 „tem & utilitatem perspexerint, ut abs-  
 „que ulla coactione ad relevandas neces-

sira-

„fuitates communes, ubi laicorum non  
 „suppetunt facultates, subsidia duxerint  
 „conferenda, ea laici recipiant cum gra-  
 „tiarum actione; prius tamen Rom. Pon-  
 „tifex consulatur, cujus interest commu-  
 „nibus utilitatibus providere. Notant  
 tamen DD. apud *Wagn. h. c.* In casu  
 urgentis necessitatis, quando est pericu-  
 lum in mora, non esse necessarium recur-  
 sum ad Papam, si exactiones pro una vi-  
 ce fiant vel ad breve tempus; si enim lon-  
 go tempore sint duraturæ, foret consu-  
 lendus. His tamen non obstantibus Cle-  
 rici teste Pichler *Decis. 2.* tenentur ad ea  
 solvenda, quæ non vi jurisdictionis sæcu-  
 larium in illos pro sufferendis publicis  
 oneribus, conservatione statûs Principis  
 &c. sed solum exiguntur pro expensis fa-  
 ctis vel faciendis, v. g. in reparationem  
 viarum, pontium, navium &c. ut sunt  
 Pedagia, Pontinegia, Pontivegia &c.  
 quia æquum est, ut sicut participant de  
 commodo, etiam participant de onere.  
 Unde etiam, si flumen vicinos agros Cle-  
 ricorum & laicorum inundet, ac pro ag-  
 geribus reparandis & fluminis injuria  
 avertenda expensæ sint faciendæ, Clerici  
 cum laicis pro rata contribuere tenentur.  
 Ita *Gonz. ad c. 4. h. t.*

4. Denique *h. t. in Decret. c. 10. decer-*  
 nitur.

nitur: „ Qui homicidia & mutilationes  
 „ membrorum in ipsis Ecclesiis vel earum  
 „ Cœmiteriis committere non verentur,  
 „ sub spe impunitatis per defensionem Ec-  
 „ clesiæ, tales non debent gaudere immu-  
 „ nitatis privilegio, cum in eo, in quo de-  
 „ linquit, puniri quis debeat, & frustra  
 „ legis auxilium invocet, qui committit  
 „ in legem. Circa quod notant DD. non  
 „ solum esse quem privatum jure asyli,  
 „ quando uterque tam lædens quàm læsus  
 „ in loco sacro existit, sed etiam si existens  
 „ extra Ecclesiam occidat aut mutilet exi-  
 „ stentem in Ecclesia, aut econversò in hac  
 „ existens lædat existentem extra eam.  
 „ Nihilominus communior est sententia,  
 „ quòd committens in Ecclesia crimen non  
 „ exceptum, v. g. gravem vulnerationem,  
 „ aut etiam homicidium non motus spe im-  
 „ punitatis, furtum &c. gaudeat asylo. *An  
 „ autem Infideles, cum Ecclesiam contempnant,  
 „ in ea gaudeant jure asyli?* Controvertitur,  
 „ teste *Reiffenst. b. t. n. 77.*

5. II. *In 6. c. 2. h. t.* statuitur: „ Cessent  
 „ in Ecclesiis earumque Cœmeteriis ne-  
 „ gotiationes, Nundinæ, Judicia sæcu-  
 „ laria; processus Judicum sæcularium,  
 „ & Sententiæ ibi prolatae nullius sint fir-  
 „ mitatis. C. 4. Districtè sub pœna ex-  
 „ communicationis ipso facto incurrendæ

Kk

„in-

„inhibet Pontifex, ne quis impetratores  
 „literarum Apostolicarum vel alios in  
 „Foro Ecclesiastico litigantes vel litigare  
 „volentes, per se vel per alium ad de-  
 „fistendum, vel in Foro sæculari litigan-  
 „dum, capiendo illos vel res eorum aliis-  
 „ve modis, compellat aut procuret; quod  
 §. 12. & 13. sub Censuris reservatis in Bulla  
 Cœnæ districtius inhibetur. C. 5. „Do-  
 „mini temporales, qui subditis suis, ne  
 „Prælati aut Clericis quidquam ven-  
 „dant, aut emant aliquid ab eisdem, aut  
 „aliqua obsequia exhibeant, interdicitur,  
 „tanquam libertatis Ecclesiasticæ viola-  
 „tores eo ipso Excommunicationi sub-  
 „jaceant. Unde etiam juxta communem  
 Canonistarum apud Pignat. *Tom. 3. Con-  
 sult. 15. n. 61. & seqq.* Lac. *L. 4. n. 1389. &c.*  
 Statutum laicorum prohibens, ne bona  
 stabilia donentur aut vendantur Ecclesiis,  
 aut transferantur ad manus mortuas, est  
 iniquum, immunitati Ecclesiasticæ re-  
 pugans.

## TITULUS L.

*Ne Clerici vel Monachi sæcularibus ne-  
 gotiis se immisceant.*

**Q**uia juxta Apostolum 2 *Tim. 2. Nemo  
 militans DEO implicat se negotiis sa-*

ularibus, per Jus Canonicum varia Clericis sunt prohibita, ut: Postulare, *L. 1. Tit. 37.* Varia officia exercere, *sup. Tit. 1. n. 5. c. 15. & seqq.* Pro aliis fidejubere, *Tit. 22. & c.* Hoc Titulo nonnulla specialiter Clericis prohibentur, nempe

I. In *Decret. c. 1.* „In placitis sæcularibus disputare, exceptâ defensione orphanorum aut viduarum. C. 2. Esse ministros laicorum aut in rebus eorum procuratores. Quòd si postmodum occasione administrationis propter pecuniariam causam à laicis capiantur, indignum est eis ab Ecclesia subveniri, in qua scandalum per ipsos generatum. Unde licet Clerici non possint propriâ voluntate privilegio Fori aut Canonis renuntiare, illud tamen ex juris dispositione ob certa delicta amittunt. C. 3. „Post factam in loco religioso professionem ad discendam medicinam vel Jus Civile exire. C. 4. Jurisdictiones sæculares sub Principibus sæcularibus, ut Justitios exercere. C. 5. Judicium sanguinis agitare. C. 6. Causâ lucri negotiari, de quo vide *Nucl. Theol. Exam. 15. n. 4. §. 10.* C. 8. „Tabellionatûs officium exercere, in causis non spiritualibus, sed civilibus; Instrumenta tamen ab eis confecta de jure valent. *Gonz. h. c.* C. 9. „Sententiam

516 LIBER III. TIT. L. NE CLERICI &c.  
„ sanguinis dictare, proferre, aut ex-  
„ cutioni illius interesse auctoritative; aut  
„ illam chirurgiæ partem exercere, quæ  
„ vel adustiouem vel incisionem inducit,  
putà per se; si enim Clericus medicinam  
calleat, incisionem alteri committere  
potest. C. 10. „ Prohibitio C. 3. facta Re-  
„ ligiosis, ne exeant ad audiendum Le-  
„ ges vel Physicam, ad alios Clericos  
„ extenditur, ut apud hos Theologia  
„ studium ad defensionem fidei Catho-  
„ licæ ampliatur.

II. In 6. C. 3. „ Declarat Pontifex, etiã  
„ Clericis causas Sanguinis agitare non  
„ liceat, eastamen, si jurisdictionem ob-  
„ tinent temporalem, debent & possunt  
„ sine periculo incurrendæ irregularitatis  
„ aliis delegare, de quo vide *Nucl. Theol.*  
*Exam. 33. n. 4. §. 6.* Quia hæc difficultate  
carent, hîc fit

FINIS  
LIBRI TERTII DECRETALIUM.



LIBER